AUTHOR:

SCHIMMELPFENG, CONSTANTIN

TITLE:

DE DIIS IN CONSPECTUM HOMINUM...

PLACE:

MARBURGI CATTORUM

DATE:

1845

Master Negative #

91-80397-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schimmelpfeng, Constantin

De diis in conspectum hominum venientibus apud Homerum. Dissertatio inauguralis quam ... offert Constantinus Schimmelpfeng ... Marburgi Cattorum, 1845.

44 p. $21\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Marburg.

372527

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm   REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 12-26-91   INITIALS EK

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

mm

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE DIIS IN CONSPECTUM HOMINUM VENIENTIBUS APUD HOMERUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM
MARBURGENSIUM ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE
CAPESSENDOS

OFFERT

CONSTANTINUS SCHIMMELPFENG
GYMNASII CASSELLANI PRÆCEPTOR ORDINARIUS.

MARBURGI CATTORUM MDCCCXLV.

Quum temporibus nostris major scholis diligentia et cura adhiberetur, fuerunt qui senis per hebdomadem horis doctrinam christianam gymnasiorum discipulos doceri vellent. Neque puduit eos dicere, antiquitatis scriptorum lectione et Graecorum et Romanorum discipulos eo abduci, ut doctrinae christianae praecepta negligerent atque contemnerent. Qui quantum absit ut rem vere dijudicent, satis dici non potest. — Puerorum animos recte aestimare non possunt, qui se pueros fuisse paene vitio sibi vertant neque sciant, institutione aliena a puerorum indole, quum rei gravitas intelligentiae juvenilis fines excedat, fieri, ut vel taedium quoddam discipulorum animi sentiant vel simulationem et dissimulationem sibi induant. Quam in pestem ne discipuli incidant bene cavetur, quum doctrinam christianam docentes id operam damus, ne ab historiae via decedamus. Quod si fit, binis in septem dies horis discipulis tradi doctrinam christianam consentaneum censemus non ignorantes, hic plus valere illud quam in ulla

alia re: **longum est iter per praecepta, breve per exempla.** — Quomodo autem antiquitatis scriptores et Graeci et Romani legendi sint in gymnasiis, egregie nesciunt, qui eorum lectione a doctrina christiana discipulos abduci affirmant. Qui error hoc quoque refutatur, quod in id magnopere confertur philologorum opera, ut, quid et Graeci et Romani de rebus divinis cogitaverint, indagetur.

Sic legenti mihi Homeri carmina theologia Homerica *), quam dicunt, inprimis digna visa est, quae diligentius exploretur atque accuratius explicetur. Minime enim credamus oportet, Homerum humana ad Deos transtulisse Deosque interesse rebus humanis atque apparere hominibus docuisse, quo melius exornaret carmen suum probaretque, sed optime nobis persuasum esse potest, Deorum cognitiones summas gravissimasque, quae ex Homeri carminibus nobis sunt hauriendae, omnibus poetae aequalibus usitatas perceptasque fuisse. Jam quum de Diis in conspectum hominum venientibus apud Homerum agere placeat, argumentis nonnullis antea planum facere conabor, Herodoto et Graecis, qui inter annum 560 et 445 a. Chr., Ol. LV, 1 et LXXXIII, 4 viverent, persuasum fuisse, Deos apparere hominibus; deinde eandem persuasionem Homeri ejusque aequalium fuisse; tum quaeremus, quales Graeci Homerici Deos sibi finxerint. Quibus expositis de commercio, quod inter Deos et homines fuisse Homerus doceat, tum de Diis in hominum conspectum venientibus apud Homerum agemus; denique num quid hac in re differant Ilias et Odyssea breviter disseramus.

*) Summis laudibus merito effertur liber Naegelsbachii, die homerische Theologie in ihrem Zusammenhange dargestellt, Nürnberg 1840. Ex censura hujus libri in Tholuckii ind. litter. theol. 1842 Nr. 7, pauca tantum hic afferam, quibus breviter docetur, quanti hujus theologiae tractatio ad discipulos in gymnasiis bene erudiendos sit aestimanda. „An einer religionsgeschichtlichen Behandlung, an einer aus dem Leben „gegriffenen Schilderung der religiösen Ansicht und Praxis (des Röm. und „Griech. Alterthums) im Ganzen oder in bestimmten Zeiträumen fehlt es „noch. Sie ist im Interesse des Gymnasialunterrichtes, aber auch im „Interesse der Theologie lebhaft zu wünschen. Auch die Religionsgeschichte „wird an dem religionsphilosophischen Begriffe der verschiedenen Religionen „ihren Halt haben. Welcher Mangel, daß unsere Jünglinge aus vieljährigem „klassischen Unterrichte entlassen werden, ohne im Stande zu sein, das Charakteristische der Religionsstufen der beiden klassischen Völker nachzuweisen, und „etwa darum auch, ohne das Verhältniß derselben zum Christenthum zu „begreifen! Würde ihnen gezeigt, wie von der Naturanbetung der Asiaten „der Begriff der Religion sich immer vollkommner entfaltet, bei den Griechen zu der Religion der schönen Menschheit, bei den Römern zu der des „Staates, bei den Juden zu der des überirdischen und übermenschlichen „Gottes, und wie, wenn hier der Mensch am meisten zum Bewußtsein „der Kluft zwischen sich und der Gottheit gelangt ist, im Christenthum die „Religion der Versöhnung eintritt, würden dann die einzelnen Erscheinungen „des Volkslebens, — wie ja die Religion das lebendige Centrum eines „Volks ist, — auf seine Religion zurückgeführt, gewiß, es gäbe keine „wirksamere Vorbildung zum christlichen Unterrichte." Conferas praeterea, quomodo res divinae veterum in gymnasiis tradendae sint, praeceptorum Rhenano-Guestphalicae societatis Musei dissertationem primam, quae Winiewskio auctore inscripta est: „Ueber die Behandlung der Religion der Alten auf Gelehrten-Schulen."

§. 1.

Herodoto et Graecis, qui inter annum 560 et 445 a. Chr. viverent, persuasum fuisse Deos apparere hominibus.

Herodotus libr. II cap. 53 dicit: »*οὗτοι δὲ εἰσι* (Homerus et Hesiodus) *ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησιν, καὶ τοῖσι* »*θεοῖσι ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ* »*εἴδεα αὐτῶν σημήναντες.*« Jam inter omnes fere non dubium est, quin *ποιεῖν* cum dativo junctum nullo alio sensu possit

intelligi, nisi ita sit dictum, ut Homerum et Hesiodum Graecis indicet theogoniam condidisse *).

Quae sententia ne falsam de Homero poeta **) opinionem confirmet, considerandum est, quibus rebus ductus Herodotus in hanc sententiam abierit. — Permagna fuit non solum Graecis, sed fere omnibus antiquitatis gentibus cupido, clarissima quaeque instituta ex antiquissimis temporibus repetendi et ad viros clarissimos tanquam auctores referendi. Quae cupido quanta apud Graecos fuerit ***), bene intelliges, si contuleris, quae Fr. A. Wolfius in Prolegomenis ad Homerum pag. LI et CLIII et Ch. A. Lobeckius in Aglaophamo sive de theologiae mysticae Graecorum causis lib. I §. 21 pag. 167 sq. et scriptores ab hoc viro doctissimo ad marginem laudati protulerunt.

Herodotus igitur quum Deorum opiniones omnibus aetatis suae Graecis usitatas perceptasque cum Homeri comparasset et se aequalesque minime de his opinionibus summis gravissimisque vidisset ab Homero dessentire, easdem ad Homerum auctorem referre minime dubitavit, licet Deorum nomina a Pelasgis ad Hellenes transiisse jam dixisset †).

---

*) Conf. ad hunc locum, quae in editione Herodoti attulit Baehrius. Wesselingius ποιεῖν interpretatus est »versibus describere atque ornare,« quam interpretationem a Larchero receptam Wyttenbachius et nuper in Hesiodi editione altera Goettlingius probaverunt. Neque ea mihi placent, quae in Hesiodi carminum editionis Goettlingianae alterius censura in annal. liter. Heidelberg. anni 1844 p. 411 et 412 ad locum hunc Herodoteum explicandum docentur.

**) Conf. die Religion der Griechen und Römer nach historischen und philosophischen Grundsätzen 2c. von Dr. M. W. Heffter, p. 47.

***) Neque non aliis gentibus hanc cupidinem fuisse, jam satis sit Judaeos sumere, qui novum scribendi genus ad Esram referant minime luce clariora historiae testimonia prorsus repugnantia respicientes. Cf. Kritische Grammatik der hebräischen Sprache von Ewald, §. 19, 1. p. 12. Et eandem cupidinem videmus apud Romanos, cf. Osenbrüggen Cicero's Rede für den Sextus Roscius p. 47.

†) Herod. II, 52.

Quarum opinionum quantus consensus de Diis in conspectum datis *) fuerit inter Homerum et Graecos, qui ab anno 560 ad 445 a. Chr., Ol. LV, 1 — LXXXIII, 4 **) viverent, ex Herodoti historiis cognosci potest.

Pisistratus tyrannus Athenis rerum potitus est mulieris, quae Minervam simulabat, usus auxilio ***). Hanc enim mulierem in currum impositam homines praecurrentes vociferati sunt: »Ὦ Ἀθηναῖοι δέκεσθε ἀγαθῷ νόῳ Πεισίστρατον, τὸν αὐτὴ ἡ Ἀθηναίη τιμήσασα ἀνθρώπων μάλιστα κατάγει ἐς τὴν ἑωυτῆς ἀκρόπολιν,« et oppidani Deam esse arbitrati, hanc mulierem quasi Deam adoraverunt monitisque divinis permoti Pisistratum receperunt. Quam fraudem Herodotus »πρῆγμα εὐηθέστατον μακρῷ« dicit hisce verbis additis: »ἐπεί γε ἀπεκρίθη ἐκ παλαιτέρου τοῦ βαρβαρικοῦ ἔθνεος τὸ Ἑλληνικὸν, ἐὸν καὶ δεξιώτερον, καὶ εὐηθίης ἠλιθίου ἀπηλλαγμένον μᾶλλον· εἰ καὶ τότε γε οὗτοι ἐν Ἀθηναίοισι, τοῖσι πρώτοισι λεγομένοισι εἶναι Ἑλλήνων σοφίην, μηχανῶνται τοιάδε.« †) — Quaeritur, num hoc loco Graecos imprimisque Athenienses Herodotus arguat superstitionis, cujus ipsum pudeat. Vulgatam vero opinionem, qua Graeci credebant Deos hominibus apparere, Graecis vitio non vertit, sed id tantum ridet, quod Athenienses, qui omnium sapientissimos se putabant, simplicissimo modo decipi potuerunt, quum aliis in rebus ingenii dexteritate uterentur Graeci et stultitia ridicula liberi essent. Simplicissimo autem modo Athenienses decepti sunt a Pisistrato iisque, qui ab ejus partibus stabant, quum perfacile mulier tanquam civis Attica demi Paeoniensis cognosci posset; sed tanta erat reve-

---

*) Cf. Die Heldensage der Griechen nach ihrer nationalen Geltung von G. W. Nitzsch. §. 3, p. 33 — 44.

**) An. 560 a. Chr. Ol. LV, 1 Pisistratus primum Athenis rerum potitus est, septuaginta annos ante pugnam Marathoniam, et an. 445 a. Chr., Ol. LXXXIII, 4 Herodotus libros suos Athenis legit. Cf. Clintonis Fasti Hellenici, conversi a Kruegero p. 2 et 54.

***) Herod. I, 60.

†) Conf. ad h. l. Baehrius in Herodoti editione.

rentia tantusque timor divinitatis, ut ne rectis quidem oculis mulierem aspicerent, et haud scio an Deorum aspectus haberetur permagni periculi.

Verumtamen aliquid consideremus discriminis Herodotum inter et Athenienses Pisistrati aequales. Herodotus non ignoravit, quid alii populi de rebus divinis cogitarent, et quomodo a Graecis differrent *), neque nescius fuit, in narrationibus de diis, qui hominibus apparuerint, saepenumero aliquid subesse erroris vel doli. Quod certe minus mirandum est, quam si Eurymachus ille Homericus Halithersis vaticinationibus illudit et praemii spe adductum eum vaticinatum esse dicit **).

Herodotus indicia postulare videtur, quibus fretus nil erroris nil doli subesse credat. Quae quum desiderantur, addit

---

*) Conf. Herod. I, 131 »ὡς μὲν ἐμοὶ δοκέει, ὅτι ουκ ανθρωποφυέας ἐνόμι-»σαν τοὺς θεοὺς, κατάπερ οἱ Ἕλληνες, εἶναι,« ubi, ut Baehrius opinatur, Herodotum Graecorum anthropomorphismo, qui dicitur, orientalium doctrinam magis puram exemptamque ab eo, quod materialitatis vocabulo barbaro vulgo designent, opponere voluisse, ut Graecos vituperet vel minoris faciat, minime placet. quum Herodotus ipse ex antiquo jam tempore Graecos nationibus barbaricis excellere dicat. Cf. I, 60. Haud recte etiam ἀνθρωποφυέσι θεοῖς conferuntur ἀνθρωποειδέες θεοί (II, 142), quum ἀνθρωποφυεῖς Deos significent speciei humanae sive praeditos forma humana, ἀνθρωποειδέες autem Dii dicantur, qui forma humana assumta inter homines conspiciuntur.

**) Conf. Hom. Odyss. II, 177 — 186, et 170. Certissime Graeci ad credendum procliviores erant, quam Lobeckius putat in Aglaophamo p. 263. »Leodem autem θυοσκόον dictum Od. XXI, 144, XXII, »310. 328, nullam rerum futurarum scientiam habuisse, valentissi»mum argumentum est, quod neque suam neque amicorum sortem »non modo praevidit, sed ne explorare quidem per exta conatus »est.« Hoc argumentum, quod valentissimum Lobeckius censet, nobis tanti non est, nisi vates revera rerum futurarum scientiam habuisse credideris. Conf. Autisymbolik von J. H. Voß. Bd. 1. Zweites Stück, p. 232.

»ὡς λόγος λέγεται« *) vel simile quid **), quo opinionem vulgarem de re narrata in erroris vel fraudis suspicionem cadere posse significet. Sed opinionem ipsam, Deos hominibus apparere, nunquam falsam dicit, saepius narratis, quibus haec opinio probatur, nihil addens, unde ipsi veritatem dubiam fuisse suspicemur. Hanc ad partem conferatur Herod. I, 65, ubi Pythia addubitat, utrum Lycurgum templum Delphis ingressum Deum an hominem alloquatur, et VI, 69, ubi Demaratum esse filium Aristonis vel Astrabaci herois legimus, et VIII, 38 et 39, ubi Phylacus et Autonous heroes Delphicis adversus Persas venisse auxilio narrantur ***).

Dubitari fortasse potest, num operae pretium facturus sim, si mihi in animo sit probare, Thucydidem quoque ejus opinionis fuisse, qua Deos apparere hominibus crediderit. Qui †) Brasidam Lacedaemonium virum summa fortitudine et moribus optimis ††) Lecytho capta minas triginta, quas praemium proposuerat ei, qui primus muros adscendisset, in Minervae templo Lecythi posuisse narrat opinione ductum, alio quam humano auxilio urbem expugnatam esse. Non militem, sed Deum, ut mihi quidem videtur, muros primum adscendisse persuasum sibi habuit. Et Thucydides, qui fabulas ex libro suo rejicit †††), ne uno quidem verbo Brasidae persuasionem parvi habet. — Non negaverim, hanc narrationem solam non tantam habere vim, ut Thucydidis

---

*) Herod. VII, 127 Dioscuros hospitio ab Euphorione exceptos narrat.

**) Herod. VI, 105. Phidippidi ab Atheniensibus Lacedaemonem misso Panem obviam factum pollicitum esse auxilium contra Persas: »Καὶ καταστάντων σφίσι εὖ ἤδη τῶν πρηγμάτων, πιστεύσαντες εἶναι ἀληθέα, ἱδρύσαντο« etc.

***) Conferatur praeterea Herod. VIII, 64.

†) Thuc. IV, 116.

††) Thuc. IV, 81. V, 11.

†††) Thuc. I, 22. »καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀτερπέ»στερον φανεῖται.«

quoque fuisse persuasionem, Deos apparere hominibus, pro certo exploratoque habeamus. Sed satis est probasse saeculo VI et V ineunte a. Chr. Graecis persuasum fuisse, Deos apparere hominibus.

§. 2.

Homero ejusque aequalibus persuasum fuisse, Deos apparere hominibus.

Sunt autem, qui Graecos Homeri carminibus inductos Deos apparere hominibus sibi persuasisse dicant, ita ut, si Homerus non praeivisset atque docuisset, Graecos de rebus divinis omnino alia sensisse veri simillimum sit. Verum est, Homeri lectionem permagnam vim habuisse apud Graecos *) posterioribus etiam temporibus puerorum institutionem ab hoc poeta auspicari solitos **), sed quae Homeri carminibus docentur de rebus divinis, longe maximam partem jam inter Graecos nota, divulgata et credita ante Homerum erant. Homerus enim poeta cum opinionibus Graecis aetatis suae receptis discrepare non potuit ***). Neque est, quod de rebus divinis easdem opiniones, quas apud Ho-

*) Cf. Prologomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie von K. O. Müller p. 213. „Das griechische Volk im Ganzen, wenigstens wo dichterische „Bildung verbreitet war, konnte sich nun seine Gottheit bald kaum anders „denken, als wie sie Homer dargestellt hatte, und die ältern davon ab- „weichenden Begriffe ließen nur in einigen alten Namen, Cäremonien, „dunkeln Lokalsagen, schwer zu enträthselnde Spuren zurück."

**) Cf. C. A. Boettigeri Opuscula et Carmina latina coll. et ed. J. Sillig. Or. IV, p. 54 sq.

***) Cf. Briefe über Homer und Hesiodus, vorzüglich über die Theogenie von G. Hermann und Fr. Creuzer. Ep. VI p. 128. „Was aber allgemein

merum videmus, Graecis antiquis fuisse miremur, nisi cum Creuzero, viro doctissimo, monotheismi, quem dicunt, vestigia apud Graecos antiquos indagare placet *). Qui id tantum

„und fest in die Vorstellung des Volks eingegangen ist, dem kann und „wird ein Künstler ohne höchste Noth nicht widersprechen können." et Ep. I, S. 2. „Homer und Hesiod, unter welchen Namen ich Alles, was diesen „Namen führt, begreife, wußten von Symbolik und Mystik durchaus gar „nichts, sondern Alles, was sie erzählen, erzählen sie als Thatsachen „ganz einfach in vollem Glauben, ohne nach Grund und Ursache oder einer „andern Deutung zu fragen. — Dies ist so sehr Charakter der alten epischen „Poesie, daß durchaus gar keine Ausnahme gemacht werden kann." — Mythologische Briefe von J. H. Voß. Erster Bd. Br. III S. 20. „Homer „und die ältesten Dichter haben die würdigsten Volksbegriffe ihrer Zeiten „und Gegenden ausgehoben und durch des begeisterten Herzens Licht und „Wärme unmerklich veredelt." — Homerische Theologie von Nägelsbach p. 145. „Nicht nur der Dichter läßt seine Götter mit den Helden etwa „der epischen Maschinerie zu Liebe verkehren, sondern die Menschheit, die „er schildert, wird von ihm als durchdrungen von dem Glauben an die „Möglichkeit des gedachten Verhältnisses dargestellt."

*) Cf. Briefe über Homer und Hesiod ꝛc. Br. VI, p. 152. „Selbst in früh- „ster Zeit, in jenen schönen Tagen patriarchalischer Menschheit, wo ich „einen reinen Monotheismus statuire, und wo erleuchtete Erzväter in lich- „ten Farben große metaphysische Wahrheiten rein aufgefaßt haben" ꝛc. et Fr. Creuzer's deutsche Schriften. Erste Abth. Erster Bd. Symb. u. Mythol. S. 24. „Die Trennung der Geschlechter, so daß dem Zeus ein „weibliches Wesen untergeordnet ist, zeigt nun den ersten Uebergang zum „Anthropismus, oder vielmehr nur erst eine Ankündigung einer später sich „entwickelnden Vermenschlichung dieser Gottheit," p. 46. „daß man nur „vom Homerus zu lernen habe, wie die Griechen ihre Götter sich zuerst „gedacht, behaupten Viele. Wir müssen eine solche Lehre eine verkehrte „nennen, und unserseits dabei bleiben, daß die Hellenische Götterlehre sich „aus dem Gefühle der Einheit in die Meinung der Vielheit verirrt, nach- „her aber durch dichtende und denkende Weise (Tragiker und Philos.) zur „Einheit wieder zurückgeleitet worden." et Bd. II p. 684. — God. Hermanni Opusc. Vol. II. De mythologia Graecorum antiquissima. p. 168. »Multo rectior, ut mihi videtur (ad mythologiae Graecae ex- »plorationem) altera via est, quae versatur in eo, ut exclusis, quae »ab aliis gentibus prolata fuerunt, illa, quoad fieri potest, perse- »quamur, quae a Graecis ipsis sunt tradita. Quorum quum nihil »habeamus, quod Homero Hesiodoque antiquius sit, ab his omnino »ista ordienda videtur disputatio« sq. — Deutsche Mythologie von Jacob Grimm. p. XXI et XXII.

animum attendunt, ut monotheismi vestigia, quem Graecis antiquissimis fuisse persuasum habent, inveniant, facillime in errores incidunt. Melius et majus aliquid pro temporum ratione, quod a prioribus temporibus repetendum sit, saepius vident, vel significari credunt et denique mysteria tanquam doctrinae melioris receptacula plurimi faciunt. Cum Creuzero iisque, qui eum ducem sequuntur, minime consentit Heffterus *), licet et ipse a monotheismo in opinionibus de rebus divinis exiisse Graecos contendat; sed hujus monotheismi, quem primis Graecorum temporibus Heffterus statuit, notio alia est, quam Creuzeri. Monotheismus hic eo cernitur, quod Deum unum, numen summum optimumque, homines agnoverint atque coluerint, qui monotheismus hominibus peccando perditus sit. Monotheismus vero, quem apud Graecos antiquissimos Heffterus statuit, naturale necessariumque initium polytheismi est. Nam Deus, quem Graecos primum credidisse Heffterus dicit, is est, qui Deos alios desideret, quod omnium maxime est polytheismi **).

Homerus vero de rebus divinis quum aliter non sentiret, atque ejus aequales: multa tamen non tam constanter recepta erant, ut poetae nonnulla addere vel variare non liceret, quam sententiam Nitzschius magnopere commendat ***).

---

*) Conf. Heffter l. l. p. 27.

**) Aliam monotheismi notionem Heffterus sequi videtur l. l. p. 11. „Außerdem wollen wir nicht unerwähnt lassen, daß selbst die Geschichte „dieser Religion nicht ohne erhebliches Interesse ist. Sie geht aus „vom Monotheismus und kehrt bei mehreren tiefdenkenden Individuen, bei „Socrates, Plato u. A. wieder dahin zurück.“ Quibus adduntur, quae omnium minime placere possunt, p. 12. „Erstarrung der Religion „unter staatlicher Auctorität; sie wird conventionell, stirbt ab, verliert ihr „inneres Leben, ihr Verständniß, wird bloße Formalität. Da sucht die „Volkspoesie, der Mythus und die Dichtkunst sie wieder lebendig zu machen „und zu erhalten“ rc. Quod probari non potest, nisi mythorum fingendorum tempus post bellum peloponnesiacum posueris.

***) Conf. Erklärende Anmerkungen zu Homer's Odyssee von Gr. W. Nitzsch. Erster Bd. p. XIII, „— kann ich nicht umhin darauf aufmerksam zu „machen: wie neben den in der Vorstellung schon festgesetzten und persön„lich ausgebildeten Göttergestalten und Mythen noch so Manches in der „Darstellung und unter der Hand des Dichters erst als werdend und sich „gestaltend erscheint“ et seq.

Sed quaeritur, quomodo fieri potuerit, ut Homerum, qui a se ipso excogitata sive ficta cecinerit traditis immiscendo, hisce fictis fidem habuisse, verisimile sit. Deos et corporis et animi dona hominibus tribuere, Graecis antiquis certissimum est *), et imprimis poetas docuisse Musae vel Apollo creduntur **). Non solum carminum auditores, sed poetae ipsi fidem habent iis, quae carminibus continentur ***), quippe qui utrique carmina *μουσόπνευστα* sive *θεόπνευστα* revereantur †). Quae quum ita sint, Ulyssem Phaeacibus enarrantem, quibus variis casibus jactatus sit, dicentem Homerus facit ††):

ταῦτα δ' ἐγὼν ἤκουσα Καλυψοῦς ἠϋκόμοιο
ἡ δ' ἔφη Ἑρμείαο διακτόρου αὐτὴ ἀκοῦσαι.

Ulysses enim scire non potuit, quibus Diis infestis aerumnas perpessus esset, quaenam consilia Dii sibi propitii iniissent, ut se salvum redderent et tandem in patriam reducerent. Poetas autem a Musis vel Apolline edoctos et hominum et Deorum consilia et res gestas scire †††) nemo erat,

---

*) Conf. Odyss. VIII, 167—170 et loci a Naegelsbachio laudati, Hom. Theol. Erster Abschn. 33. p. 54—56.

**) Conf. Od. VIII 44, 73, 480 et 481 et 488.

***) Conf. Prolegom. zu einer wissensch. Mythol. von K. O. Müller. p. 83 et 84, neque assentiar iis, quae Muellerus l. l. p. 104 contendit.

†) Conf. Erklär. Anm. zur Odyssee von Nitzsch. Th. I p. 105—107 ad Od. II, 267 sq.

††) Od. XII, 389 et 390.

†††) Conf. God. Hermanni Opusc. Vol. II. De historiae graecae primordiis p. 197. »Quoniam autem penes poetas omnis erat rerum »divinarum humanarumque scientia« et sq. et Vol. III. Praefatio ad Homeri Iliadem. p. 75. »Refert enim (Homerus) vel sibi ipsi »visa, vel ab aliis accepta, vel vulgo credita, eaque sic, ut »ipsum iis fidem habere pateat.« — Platonis de legibus L. IV. p. 719 c. »*Παλαιὸς μῦθος, ὦ νομοθέτα, ὑπό τε αὐτῶν ἀεὶ λεγόμενος*

qui addubitaret. Unde Musarum invocationes, quas apud Homerum legimus, prorsus alio sensu sumendae sunt, quam apud Homeri imitatores *), temporis posterioris poetas. Et harum invocationum afferre liceat unam, quae optime nos edocet, quid poeta a Musis sibi tributum esse credat: **)

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι
ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα,
ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν.

Reliquum est, ut perpaucis tantum Homericas allegorias vel potius interpretationes allegoricas ***) attingam, quas cum in omnibus antiquis scholiis, tum in Eustathii commentariis

---

»ἐστὶ, καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσι ξυνδεδογμένος, ὅτι ποιητὴς, ὁπόταν ἐν τῷ τρίποδι τῆς Μούσης καθίζηται, τότε οὐκ ἔμφρων ἐστίν, οἷον δὲ κρήνη τις τὸ ἐπιὸν ῥεῖν ἑτοίμως ἐᾷ.« et Platonis Phaedrus, p. 245 a. »τρίτη δὲ ἀπὸ Μουσῶν κατοχή τε καὶ μανία, λαβοῦσα ἁπαλὴν καὶ ἄβατον ψυχὴν, ἐγείρουσα καὶ ἐκβακχεύουσα κατά τε ᾠδὰς καὶ κατὰ τὴν ἄλλην ποίησιν, μυρία τῶν παλαιῶν ἔργα κοσμοῦσα τοὺς ἐπιγιγνομένους παιδεύει· ὃς δ' ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανῶς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη.«

*) Conf. P. Virgilius Maro illustr. a. Ch. G. Heyne. Ed. IV cur. Wagnero. ad I, 8. »Musa, mihi causas memora: Nam quae deorum interventu aut consiliis et machinationibus alicujus dei eventum suum habuerant nisi a Dea edoctus, poeta scire non poterat« et excursus I ad libr. I: »hic enim (Homerus) afflatu divino abreptus omnia cum fide narrat tanquam is, qui sibi persuasit, ea ita gesta esse; in Marone vero studium fingendi ea, quae aliis persuadere cupiat, subtile acumen, et mira sagacitas in rebus Romanis cum Trojanis consociandis eminet.«

**) Il. II, 484—486. Conf. Il. I. 1. II, 761. XI, 218. XIV, 508. XVI, 112. Od. I, 1. XVII, 518 et 519.

***) Jam Olymp. LXIII Theagenem Rheginum, Anaxagoram Clazomenium aliosque temporis ejusdem, quum multa carminibus sibi invenisse visi essent, allegoricae interpretationis viam ingressos esse, tanti non putamus, quum a perpaucis tantum haec interpretatio his temporibus recepta sit. Conf. Fr. A. Wolfii Proleg. ad Hom. XXXVI, p. CLX sq. et Ch. A. Lobeckii Aglaoph. lib. I. §. 20 p. 155—166.

ad Iliadis et Odysseae libros videmus. Eustathius iique, qui allegorice Deos hominibus apparentes interpretantur, vera Homericae poeseos indole ignorata *), mythi Homerici notionem statuunt, quae revera ab Homeri carminibus alienissima est, qui, quid differant mythus et historia, nesciat. — Eandem ob causam minime assentiamur iis, quae Heynius in excursu III ad Iliadis lib. XXIII de allegoria Homerica contendit. Dicit enim, Homerum poetam effecisse aliosque eo praeivisse, ut antiqui mythi, partim historici, partim philosophici generis abierint in mera commenta poetica et ingenii lusus, quibus audientium animi mulceantur. Et quod alteruma Homero feliciter inventum fuerit, mythos physicos et ethicos in suam rem vertisse, ita ut ingeniose illos pro veris factis adhibeat, eoque tam multa mira de diis commemoret **).

Non est quod diutius hac re insistamus: jam satis planum factum videtur, et Graecos saeculi VI et V ineuntis a. Chr. et Homerum ejusque aequales sibi persuasum habuisse, Deos apparere hominibus.

---

*) Conf. Eustathii Comment. ad Odysseam Prooemium p. 1. »— ἄλλα τὸ ἔργον (χρὴ) σκοπεῖν τῆς ποιήσεως, ἐκεῖνο εἰδότας, ὡς ἄρα νόμος τοῖς ποιηταῖς μὴ γυμνὴν τὴν ἱστορίαν ἐκτίθεσθαι, ἄλλα μύθους καταπυκάζειν,« et — »οὕτω τοίνυν καὶ ὁ ποιητὴς πολλαχοῦ, ὥς φασιν οἱ παλαιοὶ τοῖς ἱστορουμένοις ὁμολογῶν παραπλέκει καί μύθους καὶ τοῖς θρυλλουμένοις ἀληθέσι, προςτίθησί τι καὶ τῶν οὐκ ἀληθων,« et comment. ad Iliadem Prooem. Etsi Eustathius Deos apparentes allegorice explicet, bene tamen dicit ad Il. XX, 131. »ἀντίκειται δὲ τὸ ἐναργὲς πρὸς τὸ νοητὸν καὶ φανταστὸν καὶ τὰ τοιαῦτα.«

**) Conf. Briefe an Herrn Hofrath Heyne vom Professor Wolf. Eine Beilage zu den neuesten Untersuchungen über den Homer. Berlin 1797. Br. IV p. 126 sq.

§. 3.

Quales Graeci Homerici Deos sibi cogitaverint.

Deos corporibus humanis praeditos et ut specie corporis ita vitae ratione sibi similes Graeci veteres finxerant *). Non solum homines, qui corporis forma et virtutibus alios praestent, cum Diis in universum comparantur **), sed etiam propter corporis speciem et virtutes huic vel illi Deo sive Deae similes habentur, quum Dii singuli, quos omnes pulcherrima specie esse decebat, corpore speciei certae et virtutum certarum praediti cogitarentur ***). Et hae corporis virtutes significantur epithetis quoque, quae Minervae, Junoni, Thetidi aliisque †) attribuuntur, neque est, quod propter

*) Cf. Fr. A. Wolf, vermischte Schriften und Aufsätze in lat. und deutscher Spr. Halle 1820. XXXIX. Ueber den Ursprung der Opfer p. 252 sq. et p. 257. „Körperlich und in ihrem ganzen Wesen menschlich dachten sich „ungebildete Nationen ihre Gottheiten," — Chr. A. Lobeckii Aglaoph. p. 153. — Mythol. Briefe von J. H. Voß. 1. Bd. 3. Br. p. 19 et 20. „Wir glauben mit dem weisen Xenophanes (Clem. str. p. 601 VII, 711): „wie die Rinder, die Löwen und die Rosse, falls sie zu bilden vermöchten, „die Götter als die vollkommensten ihrer Gattung vorstellen würden; so „habe sie auch der Mensch von jeher sich selbst ähnlich an Zeugung, an „Bau, an Pflege, an Gemüthsart gefabelt: daß sie, wie an Gestalt den „Aethiopen schwarz, den Thraciern blond und blauäugig, so an Gesinnung „den Barbaren thierisch und wild, den Griechen gemildert, aber doch leidenschaftlich zu sein schienen." — Antisymbolik von J. H. Voß. Zweiter „Theil p. 37. — Hefter, die Religion der Griechen und Römer ꝛc. p. 5.

**) Conf. Od. II, 5. IV, 310. XXIV, 371. I, 371. III, 246, 468. VI, 7, 16, 243, 309. VIII, 14. XIX, 267. XXI, 14. Jl. III, 158. XIX, 250 et 286. I, 131.

***) Conf. Od. IV, 122. VI, 151 et 152. VIII, 528. XVII, 37. XIX, 54. Il. II, 477 — 479. VII, 208. VIII, 215. IX, 389 et 390. XII, 130. XIII, 295, 298 et 802. XVI, 784. XVII, 72 et 536. XX, 45. XXII, 132. XXIV, 698.

†) Conf. Od. V, 427 et 437. VI, 112. Jl. I, 551 et 568. II, 173. VIII, 471. XVIII, 360. XVI, 574. XVIII, 369. XIX, 82. IX, 389 et 390

haec epitheta Junoni et Minervae addita, a Graecis antiquissimis Deos sub animalium specie cultos esse credamus *). Quas corporis virtutes Graeci veteres certissime Diis imponere non potuissent, nisi certas notiones, ex quibus Dii singuli ficti sunt, exprimere voluissent. Neque vero animi virtutes Diis additas eos cogitasse verisimile est, nisi eas aptae corporis speciei conjunxissent, quum animi virtutes sine corpore eorum intelligentiae vim et notionem excederent, qui hominum interfectorum animos Orco demitti, ipsos canibus avibusque rapacibus lacerandos projici putarent **), eamque ob causam sine dubio corpus partem hominis praecipuam haberent.

Dii corporibus praediti humanis cibo, potione et somno fruuntur ad vires suas servandas recreandasque ***), et vestibus et armis praeter Jovem, cujus fulmen est, hominum more utuntur †); sed corporis statura hominibus praestant, ita ut

et deutsche Mythol. von Jac. Grimm. Zweite Ausgabe. Göttingen 1844 p. 299. „Im homerischen Epos ist diese auch von der griechischen Kunst „festgehaltene ideale Menschengestalt für Götter und zumal Göttinnen durch „ständige Beinamen bezeichnet," sq.

*) Conf. Prolegom. zu einer wissenschaftlichen Mythologie von K. O. Müller p. 262 et 263.

**) Conf. Il. I, 2 — 5.

***) Conf. Il. I, 605 — 610 et Naegelsbachii Homerische Theol. p. 15.

†) Conf. Il. V, 594. 743 et 745. VIII, 43, 389 et 390. XV, 125 et 126. XVIII, 526 sq. XXIV, 93 et 94. Od. IV, 506 (Nepuni tridens), V, 230 — 232. — Heffter l. l. p. 5 et 6. „Ueberall fand der Grieche in „seiner Götterwelt sich selbst mit seinem eigenen Dichten und Trachten, mit „seinem eignen Empfinden und Fühlen wieder. Ja sogar kleinliche Gewohnheiten, Einrichtungen, Erfindungen, Werkzeuge u. s. w. trug er „mit aller Naivetät auf die Himmlischen über et sq.« — Eustathii Comment. ad. Od. V, 44. »Ὅτι ἴδια φορήματα παρὰ τῷ ποιητῇ, Ἀθηνᾶς μὲν »δόρυ. Ποσειδῶνος δὲ τρίαινα, ἣν φέρει καὶ εἰς Αἰθίοπας ἀπιών· δι' ἧς »ποιεῖ τὰ εἰς τὸν Ὀδυσσέα κακά. Ἑρμοῦ δὲ φόρημα, ῥάβδος« et sq. quibuscum conferatur Nitzschii Erklärende Anm. zu Homer's Odyssee. Zweiter Bd. p. 10 et 11 ad lib. V, 44 — 49.

homines inter alios excellentes cum Diis comparari tantum possint, et in Achillis scuto Mars et Minerva homines corporis statura antecellant.

Dii habitant in Olympi cacuminibus *), in montibus, in vallibus, insulis, fluminibus, mari **); omnes autem Dii praeter inferos in Olympum conveniunt sive ducti epularum jocorumque cupiditate, sive a Jove vocati ad concionem ***). Facile Dii in locos remotissimos per aerem et mare forma haud mutata pedibus feruntur aureorum sandaliorum ope, vel curribus vehuntur †). Miram vim inesse in Deorum sandaliis et curribus non magis est mirandum, quam quod Vulcanum opificem divinum folles sibi construxisse animatos, qui ad nutum ejus spirent ††), et sellas fabricare, quae suo ipsarum impetu prodeant atque redeant †††), legimus.

Cum his de Diis opinionibus dissentire videntur Il. V, 860. XIV, 148, 272, 285. XXI, 407, ex quibus versibus Deorum corporis magnitudine et voce modum humani corporis et vocis longissime superari nonnulli colligendum putant.

Naegelsbachius *) Deorum notionem his locis ad magnitudinem ingentem **) amplificatam esse dicens, has

---

*) Conf. Il. I, 496, 605 et 607. V, 360. XI, 76. XVIII, 186 et 369. XX, 5. Od. VIII, 268 et Mythol. Briefe von J. H. Voß. Bd. 1. p. 188 — 192.

**) Conf. Od. V, 13 et 14. 380 et 381, 443 et 444. IV, 365, 401, 450. Il. I, 357 et 358. Od. VI, 123. VII, 244 et 245. X, 135 et 136.

***) Conf. Il. I, 602 — 604. XX, 4 sqq. Od. I, 25 — 27.

†) Conf. Il. V, 866. VII, 18. VIII, 410. XIV, 225 sqq. XVIII, 146. XXIV, 340 sqq. V, 355 — 369 et 720. Od. I, 96 — 98. V, 44 sqq. Il. VIII, 41 sqq. et 374 et 438 sqq. XIII, 17 sqq. XV, 119 sqq. et de discrimine inter sandaliorum et curruum usu apud Deos Mythol. Br. von J. H. Voß p. 127 sqq. et 195 sqq.

††) Conf. Il. XVIII, 468 — 473.

†††) Conf. Il. XVIII, 373 — 377 et Od. VIII, 91 — 94 et 100 — 102.

*) Conf. Hom. Theol. p. 14 et Deutsche Mythol. von Jac. Grimm. p. 298 et p. 94.

**) Conf. Naegelsbachius loco laud.: „Gleichwol aber hat sich an einzelnen Stellen die Vorstellung von den Göttern auch zu gigantischer Größe erweitert rc."

tantae Deorum corporis magnitudinis opiniones juxta illas, quas supra proposuimus, apud Homerum exstare contendit, putatque quaeri posse, num hae Deorum opiniones ab orientis populis ad Graecos profectae sint.

Primum in eo offendimus, quod Deorum notionem ad magnitudinem ingentem amplificatam esse dicit, quum eam sententiam habeat necesse sit, qua Graecos veteres tantae Deorum corporis magnitudinis opiniones cum iis, quas proposuimus, vel solas habuisse credat. Nam credere non par est, ab illis usitatis, quas plurimis Homeri locis firmatas videmus, opinionibus Graecos transiisse ad has, quarum indicia tam paucis locis inveniuntur, ut fere evanescant. Et procul dubio Naegelsbachius e temporibus ante Homerum illas opiniones repetit, vel potius jam ante Homerum fuisse censet, si quaeri posse putat, num ab orientis populis ad Graecos profectae sint. Neque vero tantum has opiniones ante Homerum solas, vel juxta illas supra propositas, sed etiam Homeri temporibus valuisse juxta illas fere omnibus probatas usitatasque contendit.

Ut Naegelsbachius recte locos laudatos interpretatus sit, quod non concesserim: G. Hermanno *) monente credendum est, Homerum ex antiquiore carmine recepta his locis cecinisse et notiones protulisse, quae haud magis aetatis

---

*) Conf. Opusc. Vol. III. Praef. ad Odyss. p. 82. »Praeterea illud neglectum video, quod multa, quae Homerus narrat, ex aliis antiquioribus carminibus accepta sunt, imprimis quod attinet ad res mythologicas: ita ut operae pretium facturus sit, qui sibi proponat, illa omnia colligere et quantum fieri possit, explanare, atque ita imaginem quandam adumbrare illius poeseos, quae ante Homerum fuit: quam patet non solum eam intelligendam esse, quae exiguo spatio antecessit, sed etiam vetustissimam illam, quae rerum divinarum atque humanarum scientiam quadam quasi rerum gestarum narratione, fictis pro rei cujusque natura nominibus, est complexa.«

suae homines decebant, quam si dicit »αἵματος ἆσαι« *), quae verba certissime ex Graecorum antiquissimorum indole repetamus necesse est.

Sed jam in eo sumus, ut has Deorum notiones, quas versibus Iliadis. V, 860, XIV, 148, 272 et 285, XXI, 407 contineri docerique Naegelsbachius persuasum habet, hisce locis cognosci negem.

Primum inquiramus in Il. XIV, 285. Juno et Somnus relicto mari ad Idam pervenerunt ad Lecton. Jam super terra ibant, summa autem sub pedibus quassabatur silva.

Non pedibus quassabatur silva, quum Dii tam facile sandaliorum aureorum ope incedant, ut et aere et aquis insistere possint, neque terram pedibus eundo tangant **). — Cum nostro loco alium conferamus, Il. XIII, 17 sqq. »Neptunus rapide pedibus progreditur: tremebant autem montes »alti et silva pedibus sub immortalibus Neptuni incedentis »et sqq.: conscendit urrum coepitque invehi super undas: »exaltabant autem cete sub ipso undique e latebris neque »non agnoverunt regem: cum laetitia etiam mare huc illuc »diductum cedebat: equi autem volabant celeriter admodum, »neque subtus madescebat aereus axis.« Ut mons et silva

**) Conf. Il. V, 289. XX, 78. XXII, 267. — Eustathius ad Il. XX, 76 hisce verbis nil nisi allegorice dictum vidit: »καὶ αὐτοῦ μάλιστά γε »θυμὸς ἀνώγει αἵματος ἆσαι Ἄρηα, ταλαύρινον πολεμιστὴν, τουτέστιν »αἵματος κορέσαι τὸ ἑαυτοῦ ξίφος, ὡς καὶ ἀλλαχοῦ εἴρηται. ἔστι δὲ ὁ »τρόπος περιφραστικὴ ἀλληγορία sqq. et ad Il. V, 289: ἀστείως καὶ ἀλληγορικῶς, inquit, δηλοῖ τὸ εἰς αἷμα πολὺ βάψαι τὸν Ἄρηα ἤγουν τὸ ξίφος.« Hunc dicendi modum ex antiquissimis temporibus repetendum esse bene vidit Heynius in observationibus ad Il. V, 289: »Satiatur ille,« inquit, »sanguine ac caede, adumbratus ad ingenium hominum fero»cium priscae aetatis, qui ferarum more caesorum hostium sangui»nem gustabant: cujus rei vestigia occurrunt tot alia in Homericis »ut Il. IV, 35. X, 346« et seqq.

**) Conf. Il. XIV, 228.

tremebant sub Dei pedibus, ita sub curru invehente cete exultabant, et mare huc illuc diductum cedebat. Mare cum laetitia cedere dicit poeta, non vi et gravitate currus sive curru invehentis, quum equorum celeritatem currusque levitatem significet:

— — τοὶ δ᾽ἐπέτοντο
ῥίμφα μάλ᾽, οὐδ᾽ ὑπένερθε διαίνετο χάλκεος ἄξων.

Neque montes silvaeque, neque mare moventur Deorum corporis gravitate, sed res inanimatae etiam Diis summis honorem et reverentiam tribuant oportet *), ut eodem modo explicem Il. I, 530, XIV, 347—349, 392 aliosque locos. Il. XIV, 285 igitur nil habet, quo Deorum corporis magnitudinem modum humanum nimis transgredientem probari posse existimes. —

Alter locus a Naegelsbachio laudatus est Il. XIV, 272 et 273. — Ex Junone jusjurandum Somnus exigens petit ab ea, ut altera manu tangat terram, altera mare marmoreum. Et Juno, quomodo jussa est, juravit **).

Quid igitur cum Naegelsbachio de hac re miremur? Dii in insula Lemno sunt: cuivis insulae parti mare proximum est: nisi ad litus versentur, facillime et celerrime ad litus progredi possunt. Fieri non potest, quin Naegelsbachius nos moneat, ne in has interpretationes incidamus, qui ipse non dubitet dicere, Apollinem sine intervallo scuticam ex manibus Diomedi excussisse ***), contendatque †)

*) Conf. Eustathii comment. ad Il. XIV, 285: »Ὅτι σεμνολογῶν ὁ ποιη»τὴς καὶ τὴν τοῦ Ὕπνου καὶ τῆς Ἥρας ἐπὶ χέρσου τοῦ κατὰ τὸ Λεκτὸν »πρόσβασιν λέγει, ὅτι ἀκροτάτη δὲ ποδῶν ὑπεσείετο ὕλη, ἡ κατὰ τὸ ὄρος »δηλαδὴ τὸ Λεκτὸν, ὡς οἷον αἰσθανομένη θείων κινημάτων καὶ τρέ»μουσα καὶ αὐτή. Τό δὲ ἀκροτάτη τὸ κοῦφον δηλοῖ καὶ ταχυπετὲς τῆς »θείας κινήσεως, ἵνα μὴ σείηται ὑπὸ τῶν ποδῶν ἡ υλη διὰ σωμα»τικὸν βάρος, ἀλλά διά τι δέος καὶ τρόμον.«

**) Nil moremur in eo, quod offensionis praebuit quid Eustathio, quem conferas ad h. l.

***) Il. XXIV, 384.

†) Homer. Theol. p. 16 et 17.

optime, Deos tum tantum praesentes esse non debere locis, ubi agant, quum hominum mentes viribus suis tractent.

Tertium locos Il. V, 860 et XIV, 148 consideremus, ubi Martem et Neptunum ut decem millia hominum clamasse poeta dicit: certissime his locis Deorum vox permagna perhibetur, sed nescio, quid obstet, quominus Deorum corporibus humanis sive corpus humanum paulo tantum superantibus praeditorum vocem permagnam fuisse credamus, quum jam apud homines vocem saepe majorem quam pro corporis magnitudine esse reperiamus.

Denique Il. XXI, 407 restat, ubi Martem prostratum septem occupasse jugera poeta dicit. Res terribilis, Mars Deus a Minerva Dea lapide jactus prosternitur, et quam terribilis haec res poetae visa sit, narratione ipsa optime exprimitur, quum animi affectus narrationi addat, quod melius huic animi affectui ex narratione orto respondeat *). Itaque poeta de Marte prostrato aliquid, quod modum excedat, dicit, non quod id credi sibi velit, sed ut, qui audiunt, si nimium dicitur, non satis dici posse, intelligant **). —

Hi igitur loci a Naegelsbachio laudati ita explicandi sunt, ut Graecos Homericos paulo tantum humana specie majores Deos sibi cogitasse statuamus et quales sint homi-

*) Conf. observationes philologicas auctore Luca in program. Gymnasii Emmericiani an. 1842 — 1843 p. 6. „Denn die Energie der Homerischen Muse, sowie die Volkssprache bildet jede Idee zur Handlung" et seq., ubi Il. V, 744 inter alia exempla proferri valde miramur, quippe qui locus jam optime alio modo explicatus sit a G. Hermanno in Opusc. Vol. IV de hyperb. p. 287 seq. Ad dicendi modum, quem nostro loco videmus, explicandum conferas Il. I, 47. XIII, 745. XX, 51. Od. XI, 606.

**) Conf. G. Hermanni Opusc. IV de Hyperb. p. 293 — 298, ubi argumenta, quibus ducti immania Diis corpora Homerum tribuisse nonnulli censuerint, optime refelluntur, et G. Nitzschii Erklär. Anm. zur Odyssee. Dritter Bd. p. 313 ad XI, 576 — 581.

nes, qui proceritate ante plerosque emineant. Poeta autem auxit exaggerando vires deorum, quas immensas cogitare animus bene potest.

Dubitari non debet, quin hae Deorum notiones omnibus Graecis Homericis receptae fuerint: procul dubio autem minime eundem consensum inveniemus, quum, quid Deos scire et velle et posse Graeci cogitaverint, quaeremus. Deos ut corporis virtutibus, ita mentis homines antecedere apparet: sed quum Deorum mentis virtutes aeque ut hominum certis finibus contineantur, cum Naegelsbachio summum discrimen inter Deos et homines in corporis immortalitate ponamus necesse est *).

§. 4.

De commercio, quod inter Deos et homines fuisse Homerus doceat.

Quam sui similes Graeci veteres sibi cogitaverint Deos, bene intelligimus considerantes, quantum Diis cum hominibus commercii fuerit. Hoc commercium temporis progressu minuitur, minime autem prorsus desinit, ut Naegelsbachius opinatur **). Quod ut minueretur necesse fuit, quum rerum nexum et causas, et mentis suae vires Graeci melius per-

*) Conf. Naegelsbachius l. l. p. 18 sqq. et p. 41.

**) Conf. Naegelsbachius l. l. p. 134 „Hat aber der Verkehr der beiden „Welten zur Zeit der epischen Handlung schon abgenommen, so dürfen wir „sicher des Glaubens sein, daß er zur Zeit des Dichters, welcher notorisch „mehrere Generationen später lebt (man denke nur an das οἷοι νῦν βρο„τοί εἰσιν, an das ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν Il. μ. 23) ganz erloschen ist." Conf. quae supra, §. 1. disputavimus, et G. W. Nitzschius, die Heldensage der Griechen nach ihrer nationalen Geltung, qui quid temporum posteriorum Graeci de hac re persuasum habuerint, optime explicuit.

spicerent *) et meliores et digniores Deorum notiones conciperent. Revera quum Dii alii et meliores et potentiores fingerentur ab hominibus majorem intelligentiam adeptis, Graeci putabant, Deorum notiones easdem prioribus temporibus fuisse, homines autem alios factos esse et maximam partem deteriores. Cujus sententiae apud Homerum fundamenta quasi jacta videmus, si respicimus Hesiodum, qui quinque aetates a metallis appellatas describit et primae aetatis homines ejusdem cum Diis generis fuisse perhibet **). Diversas hominum aetates Homerus significare videtur dicens *οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν* ***). Nec solum corporis viribus homines temporum priorum excellentiores fuerunt, sed majus Deorum cum hominibus fuit commercium.

Dii cum hominibus amicitia et amore conjuncti erant, et ex mulieribus mortalibus liberos Dii gignebant et Deae ab viris mortalibus liberos partu edebant, ita ut homines praestantissimi quique Deorum liberi et haberentur et dicerentur †). Sed jam hae Deorum cum hominibus conjunctiones belli Trojani temporibus desinere coeperunt: Aurora tantum ut immortalibus lucem ferret et mortalibus, surgebat e lectis a pulchro Tithono ††), et Ulysses cum

---

*) Conf. Realencyklopädie der classischen Alterthumswissenschaft 2c. von Pauly. Divinatio auct. Metzgero. p. 1117. „Je mehr der Mensch seines eig-„nen geistigen Thuns sich bewußt wurde, desto weniger fand er sich genö-„thigt, bei Allem auf die unmittelbare göttliche Einwirkung zu rekurriren. „Darum finden wir es natürlich, daß in den Vorstellungen der späteren „Zeiten eine Zurückführung der menschlichen Thätigkeit auf unmittelbare „göttliche Einwirkung mehr und mehr in den Hintergrund tritt.“ —

**) Conf. Hesiod *Ἔργα καὶ ἡμέραι* v. 108.
„*ὡς ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι.*“ et v. 109 — 201.

***) Conf. Il. I, 272. V, 303. XII, 449. XX, 287.

†) Conf. Il. I, 280. VI, 100. XVII, 78. II, 513 — 515, 547 et 548, 74, 741, 820. III, 147, 199, 418. V, 545, 631. X, 404. XIII, 449, 518 et 519. XIV, 315. XV, 67, 111 et 112. XVI, 448 et 449. XXI, 141. Od. IV, 184. XI, 261. 268. 306.

††) Conf. Il. XI, 1 et 2.

Deabus, Circe et Calypsone, in remotissimis et incognitis insulis una vivebat *). Thetis Dea, quae Peleo Jovis jussu nupserat, in mare redierat **).

Multi Deorum filii geniti ex mulieribus mortalibus, et Deorum a viris mortalibus pugnant ante Trojam ***). Virtutibus et rebus praeclare gestis optime cognoscitur, aliquem esse a Diis oriundum †), et jam viri, qui virtute bellica emineant, Jovis vel Martis filii dicuntur, licet patribus humanis eosdem natos esse inter omnes constet ††).

Antiquitatis mores rudes et feros autem maxime redolet, si homines cum Diis certasse audimus. Junonem Hercules dexteram ad mammam sagitta tricuspide percussit: idem Plutonem apud inferos vulneratum doloribus affecit, et Mars ab Oto et Ephialte, Aloei filiis immani corporis magnitudine, ligatus tredecim menses in carcere aeneo vinctus erat †††). Idas, Apharei filius, contra Apollinem arcum sumsit *), et Tamyrin Thracem Musae, quibuscum in conspectum datis voluit certare, caecum fecerunt **). Lycurgus, Dryantis filius, cum coelestibus contendit ***).

---

*) Od. I, 15. V, 119 — 129. IX, 30. X, 135 sqq. Naegelsbachius l. l. p. 132 hunc Ulyssis cum his deabus convictum non tanti putat, quum non fuerint Deae Olympiae, sed Calypso quum dixerit Deos Deabus hominum conjugia invidere, Aurorae et Cereris exempla proponit, quibus ipsa haud minoris aestimari vult. Hanc vero ob causam Ulysses cum his deabus una vivere potuit, qnod in insulis remotissimis et incognitis habitabant.

**) Conf. Il. I, 396. XVI, 574. I, 357 — 359.

***) Conf. Il. XVI, 448 et 449.

†) Conf. Il. V, 632. VI, 191. XIX, 105.

††) Couf. Il. II, 540, 704 et 705, 745 et 746, 842 et 843. V, 392 et 396. XIII, 54. XVII, 79.

†††) Conf. Il. V, 380 — 409.

*) Conf. Il. IX, 559.

**) Conf. Il. II, 594.

***) Conf. Il. VI, 130 et 131.

spicerent *) et meliores et digniores Deorum notiones concipérent. Revera quum Dii alii et meliores et potentiores fingerentur ab hominibus majorem intelligentiam adeptis, Graeci putabant, Deorum notiones easdem prioribus temporibus fuisse, homines autem alios factos esse et maximam partem deteriores. Cujus sententiae apud Homerum fundamenta quasi jacta videmus, si respicimus Hesiodum, qui quinque aetates a metallis appellatas describit et primae aetatis homines ejusdem cum Diis generis fuisse perhibet **). Diversas hominum aetates Homerus significare videtur dicens *οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν* ***). Nec solum corporis viribus homines temporum priorum excellentiores fuerunt, sed majus Deorum cum hominibus fuit commercium.

Dii cum hominibus amicitia et amore conjuncti erant, et ex mulieribus mortalibus liberos Dii gignebant et Deae ab viris mortalibus liberos partu edebant, ita ut homines praestantissimi quique Deorum liberi et haberentur et dicerentur †). Sed jam hae Deorum cum hominibus conjunctiones belli Trojani temporibus desinere coeperunt: Aurora tantum ut immortalibus lucem ferret et mortalibus, surgebat e lectis a pulchro Tithono ††), et Ulysses cum

---

*) Conf. Realencyklopädie der classischen Alterthumswissenschaft ꝛc. von Pauly. Divinatio auct. Metzgero. p. 1117. „Je mehr der Mensch seines eig- „nen geistigen Thuns sich bewußt wurde, desto weniger fand er sich genö- „thigt, bei Allem auf die unmittelbare göttliche Einwirkung zu rekurriren. „Darum finden wir es natürlich, daß in den Vorstellungen der späteren „Zeiten eine Zurückführung der menschlichen Thätigkeit auf unmittelbare „göttliche Einwirkung mehr und mehr in den Hintergrund tritt.“ —

**) Conf. Hesiod *Ἔργα καὶ ἡμέραι* v. 108.
»ὡς ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ θνητοί τ᾽ ἄνθρωποι.« et v. 109 — 201.

***) Conf. Il. I, 272. V, 303. XII. 449. XX, 287.

†) Conf. Il. I, 280. VI, 100. XVII, 78. II, 513 — 515, 547 et 548, 74, 741, 820. III, 147, 199, 418. V, 545, 631. X, 404. XIII, 449, 518 et 519. XIV, 315. XV, 67, 111 et 112. XVI, 448 et 449. XXI, 141. Od. IV, 184. XI, 261. 268. 306.

††) Conf. Il. XI, 1 et 2.

Deabus, Circe et Calypsone, in remotissimis et incognitis insulis una vivebat *). Thetis Dea, quae Pèleo Jovis jussu nupserat, in mare redierat **).

Multi Deorum filii geniti ex mulieribus mortalibus, et Deorum a viris mortalibus pugnant ante Trojam ***). Virtutibus et rebus praeclare gestis optime cognoscitur, aliquem esse a Diis oriundum †), et jam viri, qui virtute bellica emineant, Jovis vel Martis filii dicuntur, licet patribus humanis eosdem natos esse inter omnes constet ††).

Antiquitatis mores rudes et feros autem maxime redolet, si homines cum Diis certasse audimus. Junonem Hercules dexteram ad mammam sagitta tricuspide percussit: idem Plutonem apud inferos vulneratum doloribus affecit, et Mars ab Oto et Ephialte, Aloei filiis immani corporis magnitudine, ligatus tredecim menses in carcere aeneo vinctus erat †††). Idas, Apharei filius, contra Apollinem arcum sumsit *), et Tamyrin Thracem Musae, quibuscum in conspectum datis voluit certare, caecum fecerunt **). Lycurgus, Dryantis filius, cum coelestibus contendit ***).

---

*) Od. I, 15. V, 119 — 129. IX, 30. X, 135 sqq. Naegelsbachius l. l. p. 132 hunc Ulyssis cum his deabus convictum non tanti putat, quum non fuerint Deae Olympiae, sed Calypso quum dixerit Deos Deabus hominum conjugia invidere, Aurorae et Cereris exempla proponit, quibus ipsa haud minoris aestimari vult. Hanc vero ob causam Ulysses cum his deabus una vivere potuit, qnod in insulis remotissimis et incognitis habitabant.

**) Conf. Il. I, 396. XVI, 574. I, 357 — 359.

***) Conf. Il. XVI, 448 et 449.

†) Conf. Il. V, 632. VI, 191. XIX, 105.

††) Couf. Il. II, 540, 704 et 705, 745 et 746, 842 et 843. V, 392 et 396. XIII, 54. XVII, 79.

†††) Conf. Il. V, 380 — 409.

*) Conf. Il. IX, 559.

**) Conf. Il. II, 594.

***) Conf. Il. VI, 130 et 131.

Cum diis pugnare homines Homerici valde verentur, quum Deos se longe potentiores sciant et persuasum habeant, qui cum Diis pugnaverint, haud diu victuros esse *). Venerem quidem vulnerat Diomedes, quod sit imbellis Dea **); idem in Martem impetum facit hasta eumque vulnerat. Utraque autem pugna Diomedis et cum Venere, et cum Marte, Minervae consilio et auxilio facta est ***); sed summae fortitudinis est, quod Diomedes impetum ter facit in Aeneam, quem prope adstans Apollo tuetur. Diomedes recedit, quum Apollo dixerit: »Perpende, Tydide, et recede, et noli Diis »paria meditari, quoniam nequaquam genus par est immor»talium Deorum et hominum humi incedentium †).«

Neutiquam ad hanc partem trahi potest, quod Ulyssi adversus Scyllam arma capere in animo est, licet Circe Ulyssi dicat: »ne diis quidem cedes immortalibus« ††). Scylla est monstrum immortale, quod ab homine vinci non potest, certe tamen reverentia et veneratione, quae Diis debetur, prorsus indigna est.

Quae omnia, Deorum cum hominibus conjugia et hominum cum Diis pugnae, optime testimonio sunt, quam sui similes Deos Graeci antiqui sibi cogitaverint. Quod vero Dii hominibus potentiores sunt, eorum timor animos incedit, ut ad Deos mitigandos et propitios habendos, sacrificia antiquissimis jam temporibus faciant. Sacrificiis Deos praesentes, licet hominum oculis non conspicerentur †††), interesse, ut cibo et potione fruerentur *), persuasio antiquissima

*) Conf. Il. V. 407. VI, 130 et 131, 139 — 142, V, 603 — 606.
**) Conf. Il. V, 330 sqq.
***) Conf. Il. V, 130 et 131, 826 — 834.
†) Conf. Il. V, 431 — 444.
††) Conf. Od. XII. 116 — 118.
†††) Conf. Od. III, 435 et 436.
*) Quod minime placet C. O. Muellero, cf. Prolegomena zu einer wissenschaftl. Mythol. 2c. p. 259, probatur vero a Jac. Grimmio, cf. Deutsche Mythol. p. 52.

fuit *). — Unde fit, ut Jupiter cum aliis diis **) vel Neptunus in Aethiopum terram ad sacra sive convivium abiisse dicantur, et ut Phaeaces Deos manifestos ad sacra iis oblata venire et secum sedentes epulari glorientur ***).

Ut sacris Dii intersunt, ut donis oblatis fruantur, ita hominibus, quorum res regant †), praesentes cogitantur, sive in hominum conspectum veniunt, sive hominum oculis non conspiciuntur. Jam autem apud Homerum res eo pervenit, ut Dii justitiam et probitatem colant et tuentur, impietatem et improbitatem poenis afficiant, eamque ob causam hominum formam induti terras peragrent, hominum superbiam et pietatem animadvertentes ††).

§. 5.

Dii in hominum conspectum venientes apud Homerum.

Dii ab hominibus conspici non possunt nisi in hominum conspectum venire volunt †††), unde fit, ut in magna homi-

*) Conf. Fr. A. Wolf's Vermischte Schriften 2c. Ueber den Ursprung der Opfer. p. 251 et 252, 257.
**) Conf. Od. I, 23 et V, 100 — 102. Il. XXIII, 205 — 207.
***) Conf. Od. VII, 201 — 203.
†) Conf. Fr. Aug. Wolf's Vermischte Schriften 2c. p. 284: „Da wo man „natürliche Erscheinungen und Veränderungen irgend einer Art vorgehen „sah, schrieb man sie unmittelbarer Einwirkung körperlich gegenwärtiger, „nur mehrentheils unsichtbarer Wesen zu."
††) Conf. Od. XVIII, 485 — 487.
†††) Conf. Od. X, 573 et 574.

num frequentia singulis tantum Deus appareat *), ita ut ceteri omnes ne sensum quidem numinis praesentis habeant. Hominum enim oculi caligine tecti sunt, ut Deos videre et agnoscere non possint, eaque de re Minerva Diomedis oculis caliginem abstulit, ne contra quem Deum praeter Venerem pugnaret **). Ut Diomedis oculis caligo adimitur, ita Il. XX, 321 Achillis oculis objicitur caligo, ne Aeneam, quem Deus pugnae erepturus est, videat. Quo pugnae erepto confestim Deus ab Achillis oculis caliginem dispersit. Caliginem vero adimere et objicere nihil aliud est, quam majorem et minorem cernendi vim tribuere, quum hominum cernendi vis talis sit, ut Deos, qui haud mutata forma hominibus prope sunt, videre non possint. Minus recte Heynius ***) dicit: »Omnibus mortalibus caligo objicitur, »quoties dii accedunt, ne ab iis dii conspici possint, hoc »est, dii sunt *ἀόρατοι*, nisi illi formam humanam adsciverint.« Dii conspici non possunt ab hominibus propter minorem cernendi vim, quae hominum inest oculis et quae augeri et minui potest. Quum demta caligine sive nebula oculorum vis aucta est, Dii optime ab hominibus conspiciuntur, et quidem ea forma, quae est Deorum. Sed si Dii in cujusdam hominis formam mutati apparent, omnino et semper in hominum conspectum cadunt. Hominibus tamen ne opprobrio vertatur haec minor cernendi vis, monere placet, Minervam Orci galeam induisse, ne Mars Deus impetuosus ipsam videret sive Deum agnosceret †), et Martem Veneremque Vulcani opus minime vidisse, quo tamen ita vincti sunt, ut vincula effugere non possent ††).

---

*) Conf. Od. XVI, 157 — 161. Il. I, 198. XXIV, 120 — 140.

**) Conf. Il. V, 127 et 129.

***) Conf. Heynii Var. Lect. et Observ. ad. Il. V, 127.

†) Conf. Il. V, 848.

††) Conf. Od. VIII, 280 et 281, 298.

Dii igitur conspiciuntur, quum volunt ab hominibus conspici, aut quum caligo, quae hominum oculis offusa est, aufertur *).

Divinitate perspecta reliquum est, ut, cui Deus apparet, intelligat, quis Deorum in conspectum venerit. Nam Deus quidem Deum semper novit, etsi alter in remotissimis regionibus sedem teneat, nec causa est, quod Deus ex Deo adveniente quaerat, quis sit, unde veniat, quibus quaestionibus homines, quos peregrini invisunt, utuntur **). Menelaus Eidotheae Deae dicit: »quaecunque es Dearum ***)«, et Ulysses Minervae: »difficile est hominem obviam venientem »te agnoscere, Dea, quamvis sit peritus; nam tu te assimulas cuivis †).« Quod Minerva mox juveni, mox virgini se assimulet, efficit, ut Ulysses Deam non agnoscat, qui, quum Dea specie sua appareat, eam bene noverit. Apollini

---

*) Aliter res se habet, quum respicimus Il. XVI, 788 — 790, ubi legimus, Apollinem obviam venisse Patroclo in aspera pugna terribilem; Patroclo tamen Deum non visum esse per turbam euntem, quum nebula sive caligine multa tectus Deus obviam venisset. Poeta modo usitato, quo quid hominum conspectui subducitur sive *ἀόρατον* redditur, in Deum hoc loco aliisque transfert. Conf. Il. V, 25, 186, 775. XI, 752. XIV, 343 — 345. XX, 149 et 150. Od. XVII, 63 aliosque locos. Nocte sive nebula et nube tegere et occultare, quo quid hominum conspectui subduci dicatur, minime vero ita poetice dictum est, ut Lessingius opinatur, ut Graecos veteres aliud meliusque de hac re cogitasse credere possimus. Ad Lessingii sententias de hac re et Deorum magnitudine cognoscendas conf. G. Ephr. Lessings sämmtliche Schriften, herausg. von K. Lachmann. 6ter Bd. Laokoon oder über die Grenzen der Malerei und Poesie. p. 453 — 457.

**) Conf. Od. V, 79 et 80 et Eustathii comm. ad h. l.

***) Conf. Od. IV, 376.

†) Conf. Od. XIII, 312 et 313. Probare non possumus, quod Nitzschius contendit Erklär. Anm. zu Homer's Odyssee. Bd. 1. p. 274. ad Od. VI, 416 — 420. „Die Gabe allerlei Gestalten anzunehmen, charakterisirt die Götter des Wassers, Thetis, Acheloos, Nereus u. a." ꝛc.

Deo roganti, cur seorsum ab aliis sedeat viribus defectus, Hector cum dixisset: »Quisnam vero tu es, »optime Deorum, qui me interrogas coram?« Deus respondit: »Confide nunc; talem tibi adjutorem Saturnius ex Ida misit »qui tibi adstet et auxilietur, Phoebum Apollinem aureo gladio »conspicuum etc. *).« — Quum Minerva in castris ante Trojam Ulyssi apparuisset, eumque verbis blandis Graecos revocare reditu in patriam jussisset, Deae loquentis vocem agnovit**). Eidem Deae, Tydei res gestas pluris aestimanti quam Diomedis, et Diomedem tali patre haud dignum vocanti, Diomedes dixit: »Agnosco te, Dea, filia Jovis Aegiochi« etc.***) et alia oblata occasione idem, quum Minerva dixisset: »memento jam reditus, magnanime Tydei fili, ad naves »cavas, ne et fugatus abeas, ne forte quis etiam Trojanos »excitet Deus alius,« Deae vocem locutae agnovit †). — Minerva apparet Achilli soli in concione Graecorum. Dea stetit a tergo Achillis, ejusque comam prehendit. Obstupuit Achilles retroque conversus statim agnovit Palladem Minervam: terribiles oculi ei visi sunt, et ipsam alloquens verba dixit: »Cur huc, Jovis Aegiochi filia, venisti ††)?« — Iridem, quae Achillem Junonis jussu incitat, ut Patroclo auxilietur

---

*) Conf. Il. XV, 243 — 261.

**) Conf. Il. II, 171 et 182. et XX, 375 et 380. XXII, 214 et 215 et 224.

***) Conf. Il. V, 799 sqq.

†) Con. Il. X, 507 — 514, et XVI, 702 — 712, et Sophoclis Ajax, v. 14 — 17. .

»Ὦ φθέγμ' Ἀθάνας, φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν,
ὡς εὐμαθές σου, κἂν ἄποπτος ᾖς, ὅμως
φώνημ' ἀκούω καὶ ξυναρπάζω φρενὶ,
χαλκοστόμου κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς,

et quae Lobeckius in commentario ad Ajacem protulit p. 76 — 79.

††) Conf. Il. I, 194 — 222.

rogat: »Iri dea, quisnam te Deorum mihi nuntiam misit *)?« Eadem Dea nuntia Jovis ad Priamum quum venisset, eumque redimere jussisset Hectorem nobilem, uxori dixit Priamus: »Ne me volentem ire retine neve mihi ipsa avis in aedibus »mala sis; neque enim mihi persuadebis. Nam si alius »quidem me terrestrium jussisset, qui vates sunt, auspices »vel sacerdotes, mendacium certe crederemus et aversaremur »magis: nunc vero (ipse enim audivi deam et adspexi coram) »ibo, neque irritus sermo erit etc.« **). Thetis dea saepius venit ad Achillem filium solum, vel inter socios sedentem***), et Achille occiso cum Nereidibus e mari emersit inque Graecorum castra venit †).

Deum apparentem facile cognosci Minervam, Iridem vel alium Deum ab hominibus praeclare testatur, quam saepe Deos hominibus apparere crediderint, et quam certae cujusque Dei virtutes externae cogitatae sint. Difficilius est Deum agnoscere, qui mutatus in hominis speciem, deposita specie divina, quae est humana omnibus numeris absoluta, iis, quorum res regat, praesens est. Quorum apparendi modorum duo distinguimus, unum, ut Deus non agnoscatur, alterum, in quo Deus ab iis, quibus apparet, agnoscitur.

Priores apparendi modos, qui ex persuasione omnibus probata credebantur, poeta inspiratus scit et narrat ††). Dii

---

*) Conf. Il. XVIII, 165 — 202.

**) Conf. Il. XXIV. 159 — 227 et Il. XI, 199 sqq.

***) Conf. Il. I, 360 sqq. XIX, 5 sqq.

†) Conf. Od. XXIV, 47 sqq.

††) Conf. Nitzschii Erklär. Anm. zu Homer's Odyssee. Erster Bd. p. 105 — 107 ad Od. II, 267 sqq. „Da sprach der Glaube, da sang der Sänger.“ ɀc. et Od. IV. 653 — 656.

— ἐν δ' ἀρχὸν ἐγὼ βαίνοντ' ἐνόησα
Μέντορα, ἠὲ θεὸν, τῷ δ' αὐτῷ πάντα ἐῴκει.
αλλὰ τὸ θαυμάζω· ἴδον ἐνθάδε Μέντορα δῖον
χθιζὸν ὑπηοῖον· τότε δ' ἔμβη νηῒ Πύλονδε.

apparent assumta hominis forma eumque et consilio et auxilio juvant, cujus a partibus stant *). Homines, quibus Dii hominis formam induti apparent, cum mortalibus se agere putant et Dii id, quod volunt, consequuti abeunt, ita ut Dii non agnoscantur.

Alter apparendi modus est, ubi Dii agnoscuntur **). — Achilles Scamandri undis quum magnopere premeretur, Neptunus et Minerva viris similes prope adstant. Et Neptunus, „Pelei fili", inquit, „ne jam trepida neve turbare: tales enim „tibi nos ex diis adjutores sumus, Jove approbante, ego et „Pallas Minerva etc. ***)." — Apollo Agenorem, in quem Achilles impetum fecerat, multa tectum caligine eripuit et cum se Agenori assimulasset, obstitit Achilli. Qui dum festinat Deum persequi, Trojani in urbem se receperunt. Quo facto Phoebus Apollo allocutus est Achillem: „Cur, Pelei fili, pedibus celeribus persequeris, ipse mortalis cum sis, me deum immortalem? nonne cognosvisti, me Deum esse †)?" Quum Priamus Jovis jussu in Graecorum castra iret ad Hectorem filium redimendum, obviam ei venit Mercurius juveni similis eumque in castra duxit. Quo facto Mercurius dicit Priamo: „Senex, equidem Deus immortalis „veni Mercurius: tibi enim me Jupiter, ut comitarer, ducem „viae praebuit, sed quidem redibo, neque Achillis in conspe„ctum veniam: indignum enim fuerit, immortalem Deum

*) Conf. Il. II, 279 et 280, 786 sqq. III, 121 sqq. IV, 86 sqq. V, 461 sqq. V, 784 sqq. XIII, 215 sqq. 357 sqq. XIV, 135 sqq. XVI, 715 sqq. XVII, 73 sqq. 555 sqq. 582 sqq. XX, 81 sqq. Od. VII, 19 sqq. VIII, 7 sqq. XIII, 221 sqq.

**) Conf. Il. III, 386 sqq. XIII, 45 sqq. XVII, 322 sqq. XXI, 212 sqq. 284 sqq. 600 sqq. et XXII, 10 sqq. XXIV, 347 sqq. et 460 sqq. Od. I, 105, 320 et 420 et II, 262. II, 267 sqq. et 382 et III, 371 sqq. et IV, 653 — 655. XVII, 360 — 363. XX, 30. XXII, 203 sqq. XXIV, 443 sqq. 502 sqq. 547 et 548.

***) Il. XXI, 284 sqq.

†) Il. XXI, 595 sqq. et XXII, 7 sqq.

„sic mortalibus palam favere etc. *)." — Scamander Deus fluvius, viro similis, alloquitur ex profundo vertice Achillem et singulari modo, quo appareat, Deus ab Achille facile agnoscitur **). — Apollinem, quum Periphanti similis Aeneam incitasset ad fortiter pugnandum, Deum agnovit Aeneas coram intuitus et paulo post Hectori dixit: „Hector „et ceteri Trojanorum duces atque sociorum, haec infamia „est, nos fortibus pulsos ab Achivis Ilium redire per „ignaviam victos. Verum jam aliquis ait Deorum mihi prope „adstans, Jovem, summum consiliarium, pugnae adjutorem „esse etc. ***)" — Unde Aeneas Deum cognoverit, poeta nullo alio modo explicat, quam verbis „ἔγνω ἐσάντα ἰδών."

Quae quum ita sint, Graecis antiquis persuasum fuit, Deos mutatos divinitatis signa retinere, quibus, qui accuratius et diligentius adspiciant, Deos agnoscere possint. Quam ad sententiam probandam duo alia exempla in medium proferemus. Quum Venus Alexandrum ex pugna singulari cum Menelao inita ereptum in thalamo suaveolenti collocasset, Helenam vocavit anui similis grandaevae, quae Helenae Lacedaemone habitanti carpebat lanas dilectaque erat. Dea agnoscitur ab Helena perpulchro collo, pectore amabili et oculis vibranti splendore coruscantibus †), nec credere par est, Venerem deposita anus specie divina forma conspiciendam Helenae se praebuisse ††), quam rem certe verbo uno indicare poeta non supersedisset †††). Quum Neptunus profundo e mari egressus Calchanti corpore et voce indefessa se assimulasset et Ajaces primos adhortatus esset,

*) Conf. Il. XXIV, 347 sqq. et 460 sqq.

**) Conf. Il. XXI, 211 sqq.

***) Conf. Il. XVII, 322 — 340.

†) Conf. Il. III, 386 sqq.

††) Conf. Heynii Var. Lect. et Observ. ad Il. III, 395 et Virgilii Aeneis illustr. ab Heynio. ed. IV cur. Wagnero Exc. XIII ad lib. I. p. 241 — 246.

†††) Conf. Od. XIII, 222 sqq. et 287 — 289.

ut ipsi fortiter pugnarent aliosque etiam cohortarentur, abiens Deus agnoscitur. Ajax Oiliades »Ajax«, inquit, »aliquis nobis deorum, qui Olympum habitant, vati assimu»latus jubet ad naves pugnare, neque enim hic Calchas est, »augur; vestigia enim pedum et tibiarum facile cognovi »abeuntis; facile utique dignoscuntur Dii etc.« *)

Interdum Dii abeuntes magis perspicue numen manifestum faciunt. Quum Minerva Mentae, Taphiorum principi similis, ad Telemachum venisset, eumque consiliis adjuvisset, avis instar sublime data est, ut Deam Telemachus agnosceret **). Eadem Dea Mentori similis Telemachum Pylum comitata, falconis ossifragi formam induta abiit, ut summa admiratio omnes, qui aderant, incederet, et Dea ab omnibus agnosceretur ***).

Heynius et Nitzschius quidem Deos in aves mutari Naegelsbachio †) dissentiente negant ††). Nitzschius quum dicat, vocibus *εἰδόμενος*, *ἐοικώς* et *ἐναλίγκιος* Homerum uti ad formam revera assumtam significandam †††), tamen si Dii avibus similes dicantur, hanc similitudinem tantum ad modum eundi vel sedendi referre vult: quae explicatio non-

*) Conf. Il. XIII, 43 — 75.

**) Conf. Od. I, 105, 319 sqq. et 420· II, 262.

***) Conf. Od. II, 267, 382. III, 371.

†) Conf. Heynii Var. Lect. et Observ. ad Il. VII, 58. Tom. V, p. 508 et Nitzschii Erklär. Anm. zu Homer's Odyssee III. Ges. 371 f. Bd. 1. p. 211 — 213. „Ob wir gleich *εἰδόμενος*, sowie *ἐοικώς* oder *ἐναλίγκιος* „öfter von wirklich angenommener Gestalt lesen (I, 105. II, 268, 383, „401. XIII, 209), so dürfen wir doch da, wo Götter Vögeln gleich ent„schweben oder sitzen, keine wirkliche Verwandlung annehmen: V, 51. 337. „XXII, 239. Heyne zu Il. VII, 58-"

††) Conf. Naegelsbachii Hom. Theol. p. 139 et 140.

†††) Locis a Nitzschio l. l. allatis addas Il. II, 279 et 280, III, 121, 386. V, 461 et 462. XIII, 357. XIV, 135. XVII, 322, 553. XXI, 600. XXIV, 347. Od. VII, 19. VIII, 7. XIII, 221. XXII, 203.

nullis locis nil habet, quo offendamus, et optime commendatur, si Il. XXI, 251—254 *) legimus:

Πηλείδης δ᾽ ἀπόρουσε, ὅσον τ᾽ ἐπὶ δουρὸς ἐρωὴ,
αἰετοῦ οἴματ᾽ ἔχων μέλανος, τοῦ θηρητῆρος,
ὅςθ᾽ ἅμα κάρτιστός τε καὶ ὤκιστος πετεηνῶν·
τῷ εἰκὼς ἤϊξεν·

Quum Achilles ruere dicatur aquilae similis, ex versibus proxime antecedentibus elucet, eum aquilae similem impetu ruere. Ut hoc loco Achilles mutatus cogitari non potest, ita Dii quoque Il. XV, 237 et 238, XIX, 350, XXIV, 80 (*ἰκέλη*) Od. V, 51, 337, 353, Il. XXII, 308, XIII, 62 XVIII, 616 forma haud mutata sunt intelligendi.

Recte vero Naegelsbachius l. l. monet, addito *ἄντην* mutationem Deorum in aves addubitari non posse **). Minerva enim in Ulyssis domo insidet prominenti trabi *χελιδόνι εἰκέλη ἄντην*, hirundinis formam induta ***). Eodem modo Minerva et Apollo in vultures mutati in arbore considunt et pugnam inde prospectant †), et Somnus insidet arbori ramis dense opertus avis forma indutus, ne a Jove conspiciatur atque agnoscatur ††).

Quamquam hymni, qui vulgo Homeri dicuntur, extra fines positi sunt, inter quos disputationem hanc contineri

*) Conf. Il. XII, 385 et 386. XVII, 281.

**) Conf. Eustathii comm. ad Od. XXII, 239. »*Ἀθηνᾶ — — ἕζετο ἀναΐ»ξας, χελιδόνι ἰκέλη ἄντην ἢ κατὰ τὴν πτῆσιν ἢ κατὰ τὸ εἶδος. οὐ γὰρ »ὀκνεῖ ὁ μῦθος καὶ οὕτω μεταποιεῖν τὰ δαιμόνια.*«

***) Conf. Od. XXII, 239 et 240.

†) Conf. Il. VII, 58 — 60.

††) Conf. Il. XIV, 289 sq. et Naegelsbachius l. l. p. 140. „Diese Ver„wandlungen sind als Versuche zu betrachten, die dem menschlichen Ver„stande unbegreifliche Plötzlichkeit und Unmittelbarkeit des Da= und Nicht„mehr=da=seins, oder die nicht minder unbegreifliche unsichtbare Gegenwart „und Augenzeugenschaft des Gottes einigermaßen erklärlich und probabel „zu machen. Bei dem Verschwinden kömmt noch das hinzu, daß sich der „plötzlich in verwandelter Gestalt enteilende Gott durch diese Form des „Enteilens gleichsam selbst zu verrathen strebt."

volo, tamen unum tantum locum conferre liceat hymni in Apollinem Pythium 221—223.

— αὐτὰρ ὅ τοῖσι συνήντετο Φοῖβος Ἀπόλλων
ἐν πόντῳ δ'ἐπόρουσε δέμας δελφῖνι ἐοικὼς
νηὶ θοῇ, καὶ κεῖτο πέλωρ μέγα τε δεινόν τε.

Deorum in animalium mutationes Graecis antiquis non repugnare, bene quoque Protei exemplo demonstrari potest *). Neque Graeci dubitarunt credere, Deum in stellam mutatum de coelo in terram descendere **).

Minime igitur dubitamus, quin Homerus Deos abeuntes dicat in avium quoque formas mutari. Quo concesso bene explicabis Od. III, 371 — 373, quo loco verba

θάμβος δ'ἕλε πάντας ἰδόντας.
θαύμαζεν δ' ὁ γεραιός, ὅπως ἴδεν ὀφθαλμοῖσιν,

et quae sequuntur, rem singularem significant, neque vero, quod celeritate tantum Minerva falconi similis abiisse perhibetur, res mira ac singularis videri potest.

Signa alia, quibus Deus agnoscatur, apud Homerum non exstant, et quae in hymnis Homericis inveniuntur, procul dubio temporis posterioris habenda sunt. Quae signa videmus in hymno Homerico in Cererem 275 — 282.

Ὡς εἰποῦσα θεὰ μέγεθος καὶ εἶδος ἄμειψεν,
γῆρας ἀπωσαμένη, πέρι τ' ἀμφί τε κάλλος ἄητο.
ὀδμὴ δ' ἱμερόεσσα θυηέντων ἀπὸ πέπλων
σκίδνατο, τῆλε δὲ φέγγος ἀπὸ χροὸς ἀθανάτοιο
λάμπε θεᾶς, ξανθαὶ δὲ κόμαι κατενήνοθεν ὤμους
αὐγῆς δ' ἐπλήσθη πυκινὸς δόμος, ἀστεροπῆς ὥς.
βῆ δὲ διὲκ μεγάρων· ***)

---

*) Conf. Od. IV, 456 — 458. et Lucianus ex rec. Jacobitzii. vol. I. p. 163. Dialogus Menelai et Protei: »καὶ ἐς λέοντα δὲ ὁπότε ἀλλαγείης, ὅμως οὐδὲ τοῦτο ἔξω πίστεως.«

**) Conf. Il. II, 73 — 84 et hymni in Apoll. 264 et 265.

***) Conf. Hymnus ad Cererem, übers. und erklärt von J. H. Voß ad v. 275 — 280. p. 83. „Duftende Kleider tragen bei Homer, gleich edlen

Non minus ex tempore posteriori repetendum est, Deos ab hominibus non nisi cum vitae discrimine, vel saltem cum oculorum damno cerni posse. Timorem et reverentiam Deorum hominibus apparentium apud homines Homericos invenimus legimusque, non omnibus Deos apparere manifestos *) et terribiles esse, quum appareant manifesti **). Sed terrorem, qui a Diis in conspectum hominum datis hominibus injici perhibetur, haud magnum invenimus. Quum Ulysses a Minerva in priorem speciem mutatus esset, virum mutatum Telemachus miratus alteram in partem oculos vertit, veritus ne Deus esset ***). Quum Thetis Dea ad Achillem filium inter

---

„Weibern Il. III, 385 auch die Göttinnen, Il. XIV, 178. XXI, 507, und „nach dem Bade salben sie sich mit ambrosischem Oele, Il. XIV, 170. „Od. VIII, 304. XVIII, 192. Aber erst nach Hesiod, als mit feinern „Gerüchen des Morgenlandes die Vornehmern sich auszeichneten, wurden „in der Poesie Gottheiten an des verbreiteten Duftes überschwänglicher „Süße erkannt. (Jos. Archaeol. VIII, 2)" et seq. p. 84. „Bei dem „Eintritte der Göttin werden vom durchschimmernden Glanze die Thorflügel „erhellt v. 189. Jetzt da sie abscheidet, strahlt die enthullte Gottheit wie „ein Blitz durch das ganze Gemach. In strahlender Gestalt erscheinen „weder Homers noch Hesiods Götter, nur daß ihr Auge von ungewöhn„lichem Glanze leuchtet." ꝛc. — Hierdurch erklärt sich die gewiß dunkle Stelle „Od. XIX, 33 — 43. Dem Odysseus, der sammt dem Sohne die „Waffen in den Söller trägt, leuchtet unsichtbar Athene vor, nicht mit dem „Glanze ihres Leibes, sondern mit einer goldnen Lampe, deren Gebrauch „die weise Göttin schon kannte, ehe Homers Zeitalter ihn von den Föni„kern empfing, und Telmachos schließt, der Blick einer Göttin erhelle die „Dunkelheit. — Götter mit lichthellem Leibe dachte der Grieche sich erst, „als durch Einwirkungen des Morgenlandes und Vorspiele der Welt„weisheit, die bei v. 239 erwähnten Begriffe eines feurigen Aethers und „einer aus dem lautersten Feuerstoffe gebildeten Weltseele, wovon Aus„flüsse die Dämonen und die edleren Geister seien, sich zu enwickeln an„fingen" et seq.

*) Conf. Od. XVI, 161: »οὐ γάρ πω πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς.«

**) Conf. Il. XX, 131: »χαλεποὶ δὲ θεοὶ φαίνεσθαι ἐναργεῖς,«

***) Conf. XVI, 172 — 185. Deorum apparentium timorem apud Ithacenses quoque videmus, quibus ex manibus arma cadunt, quum Deae vocem audiant. Od. XXIV, 528 — 536.

socios ejulantes venisset armaque ante eum deposuisset, Myrmidones omnes timor cepit neque quisquam sustinuit contra adspicere *). Neque Priamum, quem Iris, Jovis nuntia, allocuta est, timor non cepit **).

Quo magis Deorum apparentium cum hominibus commercium minuitur, eo magis eorum timor crescit, quod bene congruit cum iis, quae supra disputavimus. Deorum enim commercium cum hominibus desinere sive potius minui coeptum est, quum homines animi sui vires et rerum causas nexumque melius perspicerent, meliorisque intelligentiae discrimen majus inter Deos seque ipsos statuerent. Quanto majus Deorum hominumque discrimen creditum est, tanto major Deorum apparentium timor erat.

Considerantibus nobis Deos hominibus apparentes, quos Homerus describit, Jovem nunquam hominum in conspectum dari, mirum videri potest. Inde viam patere credideris, ad monotheismi, quem dicunt, vestigia apud Graecos veteres quaerenda et agnoscenda ***), quum Jupiter Deus major sit cogitatus, quam qui hominibus apparere possit, eaque re e numero Deorum exemtus sit tanquam numen mentis perfectissimae, cujus ministri sive nuntii sint Dii ceteri.

Sed et Jovi cum hominibus commercii plurimum fuisse narratur, quippe qui plurimos e mortalibus mulieribus habuerit liberos, et Deorum ordo ex civitatis humanae forma judicatur, ut Jupiter rex, sicut Agamemnon, Graecorum ante Trojam dux, et Alcinous Phaeacum rex, *βουλὴν* et *ἀγοράν*

---

*) Conf. Il. XIX, 5 — 16.

**) Conf. Il. XXIV, 170.

***) Ad hujus rei vestigia alia via pervenit Naegelsbachius, qui l. l. p. 108 dicit: „In dieser Zurückführung göttlicher Thätigkeiten auf Zeus, „als deren Urquelle, verräth sich deutlich eine der homerischen Weltanschau„ung eingeprägte monotheistische Tendenz (vgl. Müller Prolegom. p. 245).

habeat *). Ut autem Agamemnon rex praecones misit ad jussa sua exigenda, Talthybio et Eurybati dicens **): »Abite »ad tentorium Pelidae Achillis; manu prehensam adducite »Briseidem. Quodsi non dederit, ego ipse auferam veniens »cum pluribus, quod illi et acerbius erit,« ita Jupiter quoque occasionibus oblatis Mercurium vel Iridem vel alium Deum misit ad jussa exigenda, ut Il. XV, 157 — 167 Iridem allocutus est: »Vade, age, Iri velox, Neptuno regi omnia haec »nuntia, neque falsa nuntia sis: relicta pugna illum jube ire »ad coetus Deorum vel in mare divinum. Si vero verbis meis »non parebit, sed aspernabitur, perpendat deinde mente et »animo, ne, fortis utut sit, me invadentem nequaquam valeat »sustinere; quoniam illo viribus multo praestantiorem me esse »profiteor et natu majorem; illius autem animus non veretur, »aequalem se mihi cogitare, quem metuunt etiam caeteri.«

Qua de causa, Jovem apud Homerum hominibus non apparere, non tanti aestimandum est, ut monotheismi vestigia hac re contineri credere possimus.

Alia res consideratione haud indigna est, quod Dii regibus ac potentibus solis apparent, et ab iis Dii agnoscuntur. Reges sive principes Diis propiores esse bene probant epitheta *διοτρεφεῖς* et *διογενεῖς*, eorumque locum illi tenent, qui posterioris temporis homines a Diis amati (*θεοφιλεῖς*) digni habebantur, quibus Dii apparerent. Reges principesque esse, quorum rebus Dii et in conspectum dati et somniis missis consulant, et quorum res regant, demonstratur Il. II, 79 — 83 ***),

---

*) Conf. Naegelsbachius l. l. p. 92: „Die Götterwelt erscheint ihm nicht „als ein System physisch zusammen wirkender Naturgewalten, sondern als „ein politisch gegliederter, nach Verschiedenheit der ungleich berechtigten „Individuen organisirter Staat, der wie der irdische seinen *βασιλεύς*, seine „*βουλή* und *ἀγορά* hat."

**) Conf. Il. I, 320 — 326.

***) Conf. Eustathii comm. ad Il. II, 82. *»δοξάζειν φαίνεται ὁ ποιητὴς »τοὺς τῶν σπουδαίων ἀνδρῶν ὀνείρους ὡσεπιπολὺ ἀληθεῖς εἶναι, ὥς περ*

ubi Nestor dicit: »Amci,i Argivorum duces et principes, si »quis alius Argivorum somnium dixisset, mendacium dice»remus et admodum adversaremur. Jam vero vidit is, qui »se longe praestantissimum in exercitu profitetur esse.« Potentium enim somnia veriora sunt, quam aliorum hominum, quum potentibus a Diis somnia mittantur et potentibus tantum Dii appareant.

Dei notionem animis hominum insitam ita perditam atque corruptam videmus, ut permultos Deos corpore et ratione vitae sibi similes esse Graeci crediderint, neque vestigia invenire possumus historiae viam ingressi, unde Graecos ab unius Dei notione aberrasse intelligamus. Neque in minorem errorem Graeci inciderunt, si respicimus, quae de providentia divina crediderint. Providentia divina, quae cum rebus omnibus, tum generi humano prospiciat, Graecorum veterum intelligentiam excedit, sed providentia divina, quae populis singulis vel hominibus singulis dilectis *) prospiciat, credita est. Quae persuasio nititur eo, quod homines, qui felices sint, a Diis diligi et juvari, infelices Deorum odio vexari et calamitate affici putantur. — Naegelsbachius l. l. p. 47 ex Delbrückii commentatione **) sententias nonnullas egregie laudat: »Dii non ita administrant res humanas, ut totam rerum »et eventuum seriem mente provida complectantur praeteritis »praesentia, praesentibus futura annectentes, sed ita, ut sin»gulis eventibus fortuitis intersint. Providentia divina, quae »universi populi aut unius modo hominis totam vitam pro»spiciens singula quaeque ordinet et instituat, Homero non »venit in mentem.« Quibus sententiis permultum videntur repugnare, quae Naegelsbachius proponit l. l. p. 45. *»So »erkennt denn zuvörderst der homerische Mensch in den »Göttern die Lenker und Urheber des Geschicks der Völker »und Staaten an«* etc. et p. 53. *»Aber der Glaube des »homerischen Menschen beschränkt die Wirkung und Wirk»samkeit der Gottheit im Menschlichen nicht blos auf ein»zelne Fälle von Noth und Gefahr; vielmehr beruht wie das »ganze Geschick der Völker und Reiche, so auch das ge»sammte Dasein des Individuums in leiblicher und geistiger »Hinsicht, im Leben und Tod auf den Göttern.«* —

Providentia divina singularis hac re praeclare demonstratur, quod Dii hominibus apparent. Haec autem ratio providentiae divinae vera esse non potest, quum Diis sanctitas et summus amor, quo homines omnes complectantur, minime tribuantur.

»δὴ καὶ ἐνταῦθα. εἰ μὲν γὰρ ὁ τυχών. φησιν, ἄνθρωπος ἔφη τὸν ὄνειρον, »τάχ' ἂν ἐνομίσθη ψεύδεσθαι. ἐπεὶ δὲ Ἀγαμέμνων ὁ διοτρεφὴς καὶ διο»γενὴς εἶδεν αὐτόν, οὐκ ἀπεικὸς τῷ τοιούτῳ ἀληθῆ Διὸς ἄγγελον ὄνειρον »ὡς ἀγχιθέῳ καταπεμφθῆναι.« Quae porro h. l. sequuntur, placere non possunt.

*) Conf. Il. IV, 390. V, 808. XI. 306. XV, 254. Od. III, 220 et 221, 376. IV, 826. XXIV, 182.

**) Homeri religionis quae ad bene beateque vivendum heroicis temporibus fuerit vis. Magd. 1797.

§. 6.

Num quid differant de Diis hominibus apparentibus Ilias et Odyssea.

Opinionum, quae hauriuntur ex Iliade et Odyssea de rebus divinis, nullum nobis visum est discrimen esse, quo confisi Iliadem et Odysseam unius auctoris esse negemus *).

*) Conf. Naegelsbachius l. l. p. IX. „Dagegen ist er (der Verfasser) him„melweit entfernt von jener Chorizonten-Manie, welche Benjamin Constant

Qua de causa nil nostra intererat, num loci, quos sumseramus tractandos, Iliadis vel Odysseae essent. — Sed aliam de hac re sententiam quum in libro *) videamus, cujus auctor C. O. Muellerus summa veneratione per omnia tempora antiquitatis studiosis est colendus, minime pudet perpendere, num vir ille egregius, quantum pertinet ad rem, de qua egimus, recte viderit nec ne. — Tollitur notio providentiae divinae singularis, quam eo, quod Dii hominibus in conspectum dentur, magnopere doceri dixeramus, quum Muellero **) dicenti Deos saepe non ut homines adjuvent, sed ut eos perdant, in Iliade agere atque apparere, fidem habemus. Negari non potest, nulla re acerbius tristiusque animos nostros moveri, quam Hectoris morte, nulla in re Deos partium studio ductos nobis tanto dolori esse, quanto certissime nobis sunt, quam ubi Minerva per fraudem Hectorem ad pugnam cum Achille ineundam ducit, Hectorque dicit ***): „Eheu profecto jam me Dii ad „mortem vocarunt: Deiphobum enim ego putabam heroem „adesse, sed ille quidem in muro stat, me vero decepit Mi-

„verleitet hat zu sagen, daß der Sänger der Odyssee ebensowenig die Ilias „habe dichten können, als ein alexandrinischer Jude die Psalmen oder den „Hiob (Tom. III, p. 435). Die Akten über die Verschiedenheit der Sänger „beider Gedichte sind überhaupt noch nicht geschlossen; der Verfasser scheut „das Bekenntniß dieser philologischen Ketzerei nicht; was aber insbesondere „die Annahme eines wesentlichen, nicht blos durch poetische Motive schein„bar herbeigeführten Unterschieds der religiösen Vorstellungen betrifft, so „glaubt er durch sein ganzes Buch dem aufmerksamen Leser den indirekten „Beweis geliefert zu haben, daß dieselbe jedes haltbaren Grundes ermangelt."

*) Conf. Karl Otfried Müller's Geschichte der griechischen Literatur bis auf das Zeitalter Alexanders. Nach der Handschrift des Verfassers herausgegeben von Dr. Eduard Müller, Breslau 1841. Erster Bd. p. 104 — 107.

) Conf. C. O. Muellerus l. l. p. 105. „Mit Ausnahme des Zorns des „Poseidons, der stets unsichtbar in dunkler Ferne wirkt, erscheinen die Götter „in einer mildern Gestalt; sie handeln im Einklange, ohne Streit oder „Zwiespalt, für die Erleichterung der Menschheit, nicht aber, **wie dies in „der Ilias so oft der Fall ist, behufs ihrer Vernichtung."

***) Conf. Il. XXII, 297 — 300.

„nerva." Sed omnino Dii non apparent, nisi homines, quibus favent, adjuturi: quod auxilium in pugna saepius ferri non potest, nisi ita ut is, a quo periculum alteri immineat, laedatur vel etiam interficiatur. Quantae Diis sint curae homines, Ajax, Oilei filius, Il. XXIII, 782 et 783 dicit:

„*Ὢ πόποι ἦ μ' ἔβλαψε θεὰ πόδας, ἣ τὸ πάρος περ*
μήτηρ ὣς Ὀδυσῆϊ παρίστατο ἠδ' ἐπαρήγει,"

quibus verbis de divina providentia singulari Graecis veteribus, quales in Iliade describuntur, persuasum fuisse, maximopere demonstratur.

Multo minus alia sententia placet, quam Muellerus l. l. p. 105 profert: *Zugleich erscheinen (in der Odyssee) die „Götter alle eine Stufe höher als das Menschengeschlecht, „sie werden nicht dargestellt als in körperlicher Gestalt von „ihren Wohnungen auf dem Olymp herabsteigend und sich „in den Tumult der Schlacht mischend; sondern sie gehen „in menschlicher Bildung, bloss durch ihre höhere Weisheit „und Klugheit erkennbar, in Gesellschaft des abenteuerreichen Odysseus und des verständigen Telemachus umher.*" Intelligere non possum, quid sit discriminis statuendum inter verba „*in körperlicher Gestalt*" et „*in menschlicher Bildung.*" Certissimum est, Deos et mutatos et forma sua, quae est humana omnibus numeris absoluta, in Odyssea agere et apparere hominibus, cujus rei exempla supra proposita sunt. Minime vero Dii in Odyssea agnoscuntur eo, quod majorem sapientiam ostendant: Minerva abiens Dea a Nestore iisque Pyliis, qui cum eo una ad litus erant, agnoscitur, quum mutetur in falconem ossifragum *). Eadem Dea eo agnoscitur ab Ulysse, quod deposita juvenis specie forma divina se conspiciendam ei praebet, sive quod Dea juvenis formam induta in mulierem mutatur **).

*) Conf. Od. III, 371 sqq.

**) Conf. Od. XIII, 287 sqq.

Quae ab iis proferuntur, qui cum de rebus divinis, tum de Diis in conspectum hominum datis Iliadem et Odysseam inter se discrepare censent, non tanti sunt, ut diutius ad ea refutanda cogamur. Hoc tantum moneamus, toties Deos in Odyssea hominibus apparere non posse, quoties in Iliade Deos in conspectum datos invenimus, quum Dii regibus potentibusque tantum appareant, et in Odyssea Ulyssis et Telemachi solorum res inque degressu Menelai narrentur, in Iliade autem permulti sint *), quibus Deos apparere Graeci veteres persuasum habuere. Et causam, cur Minerva Ulyssi, priusquam in patriam Ithacam redierit, manifesta non appareat, poeta ipse dicit Od. VI, 328 — 331.

— τοῦ δ᾽ ἔκλυε Παλλὰς Ἀθήνη·
αὐτῷ δ᾽ οὔπω φαίνετ᾽ ἐναντίη. αἴδετο γάρ ῥα
πατροκασίγνητον· ὁ δ᾽ ἐπιζαφελῶς μενέαινεν·
ἀντιθέῳ Ὀδυσῆϊ, πάρος ἣν γαῖαν ἱκέσθαι.

---

*) Conf. Il. XVI, 448 et 449:
»πολλοὶ γὰρ περὶ ἄστυ μέγα Πριάμοιο. μάχονται
»υἱέες ἀθανάτων.«

Typis Theodori Fischeri Cassellis.